Horstmann · De Veterum Tragicorum Romanorum

VI

DE
VETERUM TRAGICORUM ROMANORUM
LINGUA.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET

DIE II. MENSIS IULII A. MDCCCLXX

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS HORSTMANN,

MONASTERIENSIS.

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA FRID. REGENSBERG.

MDCCCLXX.

De veterum tragicorum Romanorum lingua.

Romanos Græcorum in arte tragica præstantiam attigisse nemo contendat; animus ad rerum ut sunt, non ut fingi possunt contemplationem pronus, morum insita ferocia, deficiens quoque benigna naturæ vena summum tragœdiæ florem prohibuerunt. Attamen etiam cavendum erit, ne Græcorum comparatio Romanæ tragœdiæ principibus nimium officiat. Quamquam primo quidem Græcorum fabulas transtulisse Romanos certo scimus, mox tamen in fabulis conformandis suo confisi ingenio altius se tollere et liberius se movere cœperunt, ut resecarent, quibus incultiores Romanos delectari non posse sciebant, ut adderent, quæ ad intelligendum erant opus quæque ex ingenio Romanorum esse putabant. Orationis sublimitate, sententiarum gravitate, actionum granditate, in quibus magna inerat ad sensus movendos vis, etiam dignitatem et maiestatem populi Romani efferre studebant. Quare Pacuvius et Attius magis imitati esse quam vertisse videntur Græcos auctores.

Neque negari potest, etiam linguæ formandæ studiosos fuisse poetas tragicos. Id sane concedatur necesse est, eos, quum primi litteris scripta mandarent et urbanitas illa politior nondum percrebuisset, habere multas formas et vocabula, quæ ex sermone plebeio desumpta postea ut rudiora, quam lingua emendatior sineret, reprehendebantur; ea ætate, qua litteræ et artes non adeo apud Romanos valebant, ut otiosorum oblectamenta armis et reipublicæ augendæ præferrentur, etiam elegantiam et suavitatem Græci sermonis defuisse orationi Romanæ consentaneum est.

Sed quo magis litteræ Græcæ Romæ colebantur, eo maius studium etiam in linguam rudem adhuc et incompositam emen-

dandam et ditandam contulerunt. Quod iam veterum testimonia affirmant. Festus p. 293 exemplum affert: „Nulla tunc geminabatur littera in scribendo; quam consuetudinem Ennius mutasse fertur, utpote Græcus Græco more usus, quod illi æque scribentes ac legentes duplicabant mutas, semivocales et liquidas.“ Ex Ennii igitur ætate factum est, ut quum in vetustissimis monumentis et in ipso Plauto [1]) consonantes, quamquam duplices audiebantur, non duplicarentur, iam nunc etiam duplices scriberentur [2]). Vel Longus p. 2220: „Accius geminatis vocalibus scribi natura longas syllabas voluit, cum alioquin adiecto vel sublato apice longitudinis et brevitatis nota posset ostendi.“ Ritschelius (mon. ep. tr. III; prisc lat. mon. ep. 121) ostendit, ab Attii ætate vocales a e u in monumentis litterariis [3]) ad significandam longitudinem geminatas inveniri. Quam scribendi rationem, quum iam ante Attium apud Umbros, Oscos, Sabellos [4]) in usu fuisset, Attius ab his adoptasse videtur, imprimis a Sabellis, quos etiam Attii ætate geminasse vocales monumenta docent. [5]) Priscianus I, 39: „Sequente g vel c pro n g scribunt Græci et quidam tamen *vetustissimi auctores Romanorum*, euphoniæ causa bene hoc facientes, ut Agchises, agceps, aggulus, aggens, quod ostendit Varro in primo de origine linguæ latinæ libro his verbis: ut Ion scribit, quinta et vicesima est littera, quam vocant agma, cuius forma nulla est, et vox communis est Græcis et Latinis, ut his verbis: aggulus, aggens, agguilla, iggerunt; in eiusmodi Græci et *Attius noster* bina g scribunt, alii n et g, quod in hoc veritatem videre facile non est“ [6]). His exemplis apparet, multa tragicos in lingua audacius novasse, voces Latinas ad Græcam scribendi rationem magis revocantes. Multæ præterea apud tragicos, quos acerrimi et fervidissimi ingenii

---

[1]) Fleckeisenius Misc. crit. 37—41 monuit, in formis Plautinis simĭlumæ, satĕlites, supĕlectili, vicĭsatim, ŏculto, sagĭta syllabas non semper positione longas fuisse.

[2]) Cfr. Corssen Ausspr. Vokal. p. 14. Ritschl Tit. Mumm. p. 4.

[3]) Sed ab auctoribus hæc vocalium geminatio neglecta est; Lucilius eam improbavit; Scaur. p. 2255.

[4]) Cfr. Corssen Auspr. Vok. p. 16. Ritschl mon. ep. tr. p. 30.

[5]) Tab. Rapin. ap. Mommsen Unterital. Dial. p. 335; cfn. Corssen l. c. p. 18.

[6]) Cfr. etiam Nigid. Figul. ap. Gell. 19, 4, 17.

fuisse scimus, novæ formæ et voces exstant, quæ, qua fuerint poetæ in lingua emendanda industria, illustrant.

Nova igitur et obsoleta iuxta in tragicorum lingua inveniuntur, quam, quum multa sint ei propria aut raro tantum alibi legantur, investigare non indignum mihi videtur. Quapropter disseram 1) de formis grammaticis 2) de vocabulis tragicorum, quæ alibi aut non, aut raro leguntur.

Pars prima.

De formis grammaticis.

I. De declinationibus.

§. 1. Primæ declinationis genetivus singularis in as exit apud Attium 577 (ap. Ribbeckium: Tragicorum Latinorum Reliquiæ), ubi codices legunt: neque ulla interea finis curas datur; Vossius de anal. 2, 3 transmutavit: neque ulla curas interea finis datur; contra Bothius et Ribbeckius malunt: neque ullà interea finis curai datur [1]).

Gen. sgl. in ai exit ap. Enn. 217: cupido cepit miseram nunc me, proloqui cælo atque terræ Medeai miserias (libri Medeæ; Turneb. corr. Medeai) [2]).

Gen. plur. in um: Pelopidum Att. 42 (sed Pelopidarum Att. 163, inc. inc. fab. 119, Tantalidarum Att. 67).

Prisc. VII, 3, 10: „Pro filiabus et filiis tamen in eodem genere dictum est; Ennius in Andromeda (Ribb. 98): filiis pro pter te obiecta sum innocens Nerei, id est Nereidibus;" similiter Nerei natis pro natabus Enn. 342 [3]).

Nomina propria, in lingua Græca in η exeuntia, apud tragicos semper in a terminantur: Antigona Att. 137, Helena Enn. 195, Helenam inc inc fab. 80, Thræca Enn. 347, Andromachæ Enn. 65, Atalantæ Att. 447, Sparta Næv. 17, Pac. 249, Att. 266.

§. 2. Secundæ declinationis substantiva in ius, ium exeun-

---

1) Priscianus VI, 16 e Livii Andronici Odissia affert etiam genetivos escas, Monetas, Latonas, e Nævio terras, fortunas, ex Ennio vias, alia exempla ap. Char. I, 10, 7. I, 15, 83.

2) Gen. in ai etiam Enn. Ann. ap. Cic. Cat. Maj. 6, 16 viai; Enn. ap. Varr. LL. 7, 742 Egeriai; silvai frondosai Enn. ap. Macr. Sat. 6, 222; Enn. Ann. etiam terrai (Vahl. 480), lunai (ib. 16), Albai (ib. 34), silvai (ib. 197).

3) Filiis pro filiabus etiam Plaut. Stich. 4, 1, 62. Pœn 5, 3, 9; Orelli Inscr. 2919, 3010. Contra manibus dextrabus Liv. Andr. Od. ap. Non. 493.

tia in gen. sgl. semper in i, non ii, finiuntur: consili Enn. 352; Att. 287, 628, inc inc fab. 29, præsidi Enn. 75, negoti Enn. 183, Aesculapi Enn. 316, flagiti Enn. 378, auxili Enn. 142, ingeni Næv. 40, supplici Att. 659, imperi Att. 26, inc inc fab. 126, benefici Att. 364. Nævius Hes. ap. Var. LL. 7, 7, 107: „enimvero gladii lingula" huic legi videtur repugnare; sed idem versus ap. Gell. 10, 25, 3 legitur: „ne mihi gerere morem videar lingua, non lingula", omisso gladii, quod interpolatio esse videtur [1]).

Gen. plur. sæpius in um exit pro orum; cf. Cic. Or. 46, 155: „Idem poeta (Ennius), qui inusitatius contraxerat: „patris mei meum factum pudet" pro meorum factorum (Ribb. Enn. 41), et „Texitur, exitium examen rapit" pro exitiorum (Ribb. 51), non dicit liberum, ut plerique loquimur, cum cupidos liberum aut in liberum loco dicimus, sed ut isti volunt: Neque tuum unquam in greminum extollas liberorum ex te genus" (Enn. 603), et idem: „Namque Aesculapi liberorum". At ille alter (Pacuvius) in Chryse non solum: Cives, antiqui amici maiorum meum (Rib. Pac. 80), quod erat usitatum, sed durius etiam: Consilium amici, augurium atque extum interpretes (ib. 81), idemque pergit: Postquam prodigium horriferum, portentum pavor. Quæ non sane sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter armum iudicium, etsi est apud eundem: Nihilne ad te de iudicio armum accidit? Atqui dixit Attius: „Video sepulcra duo duorum corporum, idemque Mulier una duum virum (ib. 655, 656)." Invenitur præterea ap. Enn. 2 deum sublimas subices, ib. 269 deum genus cælitum, ib. 292 deumque de consilio, ap. Pac. 381 deum triportenta, ap. Att. 32 deum regnator, ib. 143 deum summus rex, ib. 159 sine deum opera; virum Pac. 404, liberum quæsendum causa Enn. 97, stirpem liberum Enn. 362, indigem liberum Pac. 329, meorum liberum Pac. 79, exspes liberum Att. 376, florem liberum meum Att. 424; socium meum pectora Pac. 401, socium copia Att. 371, quod superest socium Att. 491; nimbum nigror Pac. 412; classem Argivom inc. inc. fab. 140, imperium Argivom Att. 201, civitatem Argivom Enn. 291, res Argivom Enn. 323, reges Argivom Att. 165, mœrus Argivom inc. inc. fab. 69; Graium Att. 471. Etiam neutra, quæ Plinius ap. Serv. ad Virg. Aen. II, 18

---

[1]) Cfr. Neue lat. Gram. I, 89.

propter casuum similitudinem in um finiri posse negat, sæpius habent um: armamentum stridor Pac. 135, sortes somnium inc. inc. fab. 12, iudicio armum Pac. 34, fulgentium armum Att. 34, consilium, extum, factum, exitium, augurium, prodigium portentum iam Cicero l. c. attulit. Accedunt adiectiva et participia: citatum quadrupedum Att. 387, ossuum inhumatum Pac. 102. liberorum sibi quæsendum gratia Enn. 920, 97; dubium et prosperum copem diem Pac. 307, parentum incertum Pac. 43, æternum deorum Pac. 293; maiorum meum Pac. 80, meum socium pectora Pac. 401, liberorum meum Att. 420, motus superum atque inferum Enn. 122, inferum specus Enn. 155, sonitus inferum Att. 479, caligo inferum inc. inc. 75.

Singularis forma est *generibus* pro *generis* a gener. ap. Att. 65 „Qui ducat, cum te viderit socerum, generibus tantam esse impietatem [1]).

§. 3. Tertia declinatio.

1. Nonnulla substantiva alio atque vulguri nominativo usurpantur; sic Iovis, cf. Prisc. 6, 7, 39, Anonym. ap. Ang. Mai auct. class. V, 150: „dicimus hic Iuppiter, huius Iovis; apud antiquos libros invenimus plenas declinationes . . . *Nævius, Pacuvius, Attius* omnes isti utuntur hoc exemplo“. Ap. Att. 373 coniecit Ribbeckius: ilico, inquam, habitat Iovis, quem propitius . . , ubi libri magnopere dissentiunt. Attamen etiam Iuppiter invenitur ap. Næv. 12, 14. Enn. 176, 237, 235. Att. inc. fab. III; inc. inc. fab. 131, 230.

Trabes pro trabs ap. Enn. 206 [2]). — Ap. Att. 533 libri habent: „ignĕs cluat mortalibus divisus“, ubi tamen Ribb. recte correxit ignĭs, quod es syllaba positione semper producitur, ut in canēs pro canis Enn. ap. Varr. LL. VII, 3, 72, quum contra is interdum positione longa non fiat [3]).

---

[1]) Similiter ibus pro is: pannibus Enn. protrept. ap. Charis 1, 15, 40, digitibus Varr. ap. Non. 427.

[2]) Etiam Enn. Ann. 598 Vahl; simili modo hæc carnis ap. Prisc. VI, 6, 17: „vetustissimi etiam nominativum hæc carnis proferebant; Livius Andronicus in Odissia: Carnis, ait, viumque quod libabant, auclabatur“. Contra nubs pro nubes Liv. Andr. Od. ap. Serv. Virg. Aen. XI, 306.

[3]) Ut Enn. ap. Varr. ll. VII, 4, 73 „quid noctis videtur“; Enn. Ann. ap. Cic. Tusc. 1, 15, 34.

In os pro or terminantur labos Pac. 290 (sed labor inc. inc. fab. 207), pavos et timos Næv. 45 (pavor Enn. C1, Pac. 53), pavos Pac. 82; vapos Att. 112.

In o, ubi posteriores plerumque habent on: Agamemno Att. 161, inc. inc. fab. 23, Chiro Liv. Andr. 33, Telamo inc. inc. fab. 93; Triton tamen legitur, non Trito, Att. 400.

Itiner pro iter habet Ennius 292, Att. 457, Pac. 45; Pac. 221, 226, Att. 50; cf. Char. art. gr. I, 10, 16, Prisc. 5, 3, 15, Non. 482; iter habet Ennius 180, 231; in casibus obliquis plerumque invenitur iteris Næv. 38, Pac. inc. fab. LVI, Att. 627, itere Att. 499; semel itinere legitur ap. Pac. 347: noctis decurso itinere.

Sanguen, neutr. generis, Enn. 24, 164, Att. 83, Aen. 4; sed sanguis Enn. 318, acc. sanguinem Enn. 127. Abl. emisso sangui Enn. 18 est correctura Hermanni et Ribbeckii pro sanguine librorum, sed adiuvatur hæc forma, quam metrum postulat, inscriptione quadam fratr. Arv. ap. Marini tab. 41 a, quæ acc. sanguem exhibet.

2. Draco in genetivo facit dracontis Att. 596; dracontem Att. Phil XXII ap. Char. V, 101: „dracontem Accius in Filocteta, quod utique a nominativo hic dracon"; sed etiam draconis exstat inc. inc. fab. 172.

Varro LL. 10, 3: „Non modo poetæ, sed etiam plerique ac primo omnis, qui soluta oratione loquuntur, dicebant, ut quæstōrem, prætōrem, sic Hectōrem, Nestōrem; itaque Ennius ait: Hectōris natum de muro iactarier: Attius hoc in tragœdiis largius a prisca consuetudine movere cœpit et ad formas Græcas verborum magis revocare, a quo Valerius ait: Attius Hectorem nolet facere, Hectora malet." Hectōrem habet Ennius 92: Hectorem curru quadriiugo raptarier; Hectōris Enn. 91: ubi fortuna Hectoris nostram aciem inclinatam; Hectŏra Attius inc. fab. 36; inc. inc. fab. 6.

Charis I, 47: „huius Didus, Sapphus, Inus. Sed melius esset secundum latinam consuetudinem huius Sapphonis, Didonis dicere; nam et Pacuvius sic declinat et Accius (ap. Ribb. 386): custodem assiduum Ioni apposuit virgini"; cf. Prisc. VI, 685: „Io Ionis, idque usus antiquorum comprobat; Calypso Calypsonis, Pacuvius (ap. Ribb. 403): tres sibi procreasse eundem per Calypsonem autumant".

Char. I, 50: Inveniuntur tamen quædam peregrina, quæ cum incremento syllabæ declinantur, ut Calchas, Pallas, Atlas, Gigas; faciunt enim Calchantis, Pallantis, Gigantis, quamvis antiqui, ut Pacuvius et Plautus, Calchan dicant, non Calchantem". Ubi collatis ex Prisc. VI, 707 et Probo (Putschii 1467) formis Calchæ et Calcha Calcham scribendum esse monuit Ritschelius Prol. Trin. p. 87, quem non respexit Lachmannus in Lucr. V, 839.

4. Acc. sgl. in im exit in his verbis: ocrim Liv. 29, (ocri abl. Liv. 33, ocris acc. pl. Liv. 32); Parim Enn. 38 [1]); abl. in i: amni Att. 523, angui Enn. 28 (angue ib. 404), avi adversa inc. inc. fab. 89; imbri Pac. 414; iubar in abl. habet iubare Pac. 347. — Acc. plur. nominum in is gen. is, es gen. is plerumque in is finitur: ædis Enn. 215, auris id 296, Att. 480, 449, 406, Enn. 277, Att. 169 (aures inc. inc. f. 20), classis Att. 12, hostis Pac. 415 (hostes Enn. 1), navis Att. 14, 126 (naves Enn. 72); etiam vastitatis Att. 175 acc. pl. est. Contra cives Enn. 1, 378. — Gen. plur. in um exit pro ium in gentum Att. 580 (sic metri causa; libri gentium), cælestum pater Att. 209 (cælestium ib. 101), silvestrum exuvias Att. 256 (corr. Ribb., libri silvestres exuvias); etiam adiectivum exsuperans habet exsuperantum Pac. 404.

5. Nonnulla substantiva e græco desumpta, quæ in lingua græca in ος, gen. εος exeunt, secundam declinationem sequuntur: erebus abl. erebo inc. inc. fab. 132; concite melum Pac. 312; melo consimilem cantum Att. 405, acris crepantes melos Att. 238. Pelagus Att. 394, melos suavisonum Næv. 25 neutrius generis sunt.

§. 4. Gen. sgl. quartæ declinationis semper fere in i terminatur: tumulti ap. Enn. 143, Att. 485, Aen. 1, æsti Pac. 97, aspecti Att. 80, 188, summa exerciti Att. 151, 311, Nel. carm. 1, lucti pænitet Att. 491, lucti vestem Att. 619, parti Pac. 70, salti Att. 435, soniti Pac. 133, strepiti Enn. 144; in us tantum quæstus causa Enn. 364. Etiam nom. plur. in i exit: flucti immisericordes Att. 33, flucti flacciscunt Pac. 77, flucti cruoris Att. 633; sed fluctus Enn. 9: magni fluctus eiiciebantur, Enn. 218 fluctūs

---

[1]) Prora in acc. sgl. prorim habet ap. Att. 575, in codice Guelf.; alii libri proram, cod. Leid. prorem legit; quare hæc forma valde incerta est.

verborum. — Anus gen. sgl. anuis Enn. 168 miscrete anuis (sic corr. Ribb.)

Tonitrus acc. pl. tonitra Att. 480: inter tonitra.

§. 5. Gell. IX, 14: „Dies dii a veteribus declinatum est, ut fames fami, pernicies pernicii, progenies progenii, luxuries luxurii, acies acii. Pacuvius in Paulo (Ribb. Paul. 1): Pater supreme nostræ progenii patris!" Non. 219: „Pernicies [1]) generis feminini; Lucilius Satyrarum libro II: pestem pernitiemque catax ... neutri Accius Melanippo (Ribb. 18): paratus sum ubivis petere pestem *permiti.*"

Fides in genetivo facit fide inc. inc. fab. 60: fide sacratæ ius.

§. 6. Abundantia: Heteroclita et Heterogenea.

1. Heterogenea sunt:

Non. 205: „Fretum neutri tantum generis esse volumus, masculini . . Nævius: dubii faventem per fretum introcurrimus (Ribb. 59); Ennius: crassa pulvis oritur, omnem pervolat cæli fretum (Ribb. 331)"; contra freta inc. inc. fab. 182.

Non. 200: „Collum neutri est generis ... collus masculini Accius Epigono (Ribb. 303): „Quid cesso ire ad eam? en præsto est, camo collum gravem".

Non. 223, 23: „Salum neutri generis vulgari consuetudine; masculini Ennius Hecuba (Ribb. 162): „undantem salum".

Pecus udis masc. gen. est ap. Enn. 255: pecudi marito, ubi tamen Priscianus V, 659 adnotat: „potest tamen figurate hoc esse prolatum, ut si dicam aquila maritus vel rex avium"; neutrius ap. Att. 400: pavore pecuda in tumulis deserunt; (sed pecudes Att. 211). Nom. et acc. sgl. pecus nonnisi neutrius invenitur: Liv. 5 Nerei simum pecus, Pac. 121 venum pecus egi, Att. Brut. 20, 32 pecus lanigerum.

Pro gelu legitur gelus, ūs masc. gen. Att. 390: tum profusus flamine hiberno gelus; cf. Prisc. VI, 685: „hoc cornu, tonitru, gelu, quæ tamen antiquissimi inveniuntur in um quoque proferentes in eodem genere et in us genere proferentes masculino et quartæ declinationis". Non. 208, 1 gelus etiam ex Afranio affert.

Alio atque vulgari genere usurpantur etiam: Alvus cf. Char.

---

[1]) Permities cod. Leid., quam formam ex Plauti, Taciti, Lucretii quoque libris eruit Koch Exerc. crit. Bonnæ 1859, p. 9.

I, 61: „Alvum Virgilius feminino genere sæpe dixit, sed masculini Calvus et Aelius Cinna et Laberius et Attius frequenter, quod magis usus celebravit".

Humus masc. est ap. Gracchum 3: umum humidum. Vulgus masc. ap. Att. 288: nonne .. velle vim vulgum vides?

Pulvis fem. ap. Enn. 331: crassa pulvis oritur (sed masc. ap. Pac. 244 flavum pulverem).

Amnis semper feminini generis est, ap. Næv. 44 amnis rapida, Enn. 323 alta in amni, Att. 517 præter antiquam amnem.

Fronte innato Pac. 382 libri legunt; Vossius tamen correxit caperata fronte.

Cardo fem. Gracch. 1, 2 grata cardo, regia cardo; (masc. Enn. 82 altisono cardine).

Latex fem. Att. 666 latice calida.

Metus fem. Enn. 387: vivam an moriar, nulla in me est metus.

Stirps masc.; cf. Char. 85: „stirps in significatione sobolis feminino genere dicitur... dixerunt tamen etiam in significatione sobolis masculino genere, ut Pacuvius: qui stirpem occidit meum?" sic etiam Pac. 52 ad stirpem exquirendum; sed fem. Att. 379, 596, 640.

Locos pro loca posuit Nævius 28: ite actutum in frundiferos locos, Att. 520; frenos pro frena Att. 416 frenos immitens feris; sed frena Att. 686.

2. Heteroclita.

Torrus pro torris; cf. Serv. ad Virg. Aen. XII, 298: „Nam illud Ennii et Pacuvii penitus de usu recessit, ut hic torrus, huius torri dicamus"; hoc loco nisus Ribbeckius in Att. 452 torris librorum in torrus mutavit: ubi ille torrus esset interfectus flammeus; sed retinuit torris ap. Att. 439: aderit tempus, cum hice torris quem amburi vides..

Char. 1, 17, 112: „Quidam veterum et hoc ossu et hoc ossum proferebant, unde Pacuvius in Chryse (Ribb. 103): ossuum (sic cod. Bamb., alii libri ossum legunt) inhumatum æstuosam aulam. Accius vero in Annalibus: fraximus fissa ferox, infensa infinditur ossis" [1]).

---

[1]) Ossua etiam Corp. Insc. Lat. Or. 1070, 2906, 4361. Henz. 6234, 6425; sed ossibus ap. Pac. 200, Att. 113 legitur.

Pro fetus gen. us Attius 244 fetus gen. i usurpavit: viridantibus fetis.

3. Heteroclita et heterogenea.

Armenta pro armentum; cf. Serv. ad Virg. Aen. III, 540: „dixerunt etiam antiqui armenta in feminino; Pacuvius (Ribb. 349): tu cornifrontes pascere armentas soles.

Arva, æ ap. Næv. 24: arvas omnes opterunt, Pac. 396: calamitas arvas calvitur; cf. Non. 192.

Fluvia pro fluvius ap. Att. 505: scatebra fluviæ.

Lamenta, æ pro lamentum, lamentatio ap. Pac. 175: lamentas fletus facere compendi licet.

Cæmenta, æ pro cæmentum Enn. 374: cæmentæ cadunt ap. Non. 169, 30; sic etiam in lege Puteol. par. fac. in Corp. Insc. Lat. 577.

Non. 227, 30: „terriculæ generis feminini; neutri Accius (Ribb. 324): ubi nunc terricula tua sunt? Accius (624): aufer istæc terricula".

Lacerta pro lacerti posuit Attius 220: tribuit veribus lacerta; cf. Non. 210, 30.

Anfractum pro anfractus Att. 336: terrarum ut anfracta revisam.

Specus feminini generis ap. Pac. 252: scruposam specum; (masculini Enn. 155: inferum vastos specus). Prisc. 713: „dicebant tamen et hoc specum et hæc speca", ubi tamen speca nominativus pluralis a specum esse videtur; Attius 63 usurpavit formam specum: altis clausere specis.

Varro LL. V, 21: „In Latio aliquot locis dicitur ut apud Attium non terminus, sed termen" [1]).

§. 7. Pluralia tantum, Communia.

Ops etiam in nominativo sgl. apud tragicos invenitur; cf. Prisc. 7, 2, 52: „vetustissimi tamen hic et hæc et hoc ops et cops pro opulentus et copiosus dicebant; Attius (669) quorum genitor fertur esse ops gentibus". Fest. 190: „Ops antiqui dice-

---

[1]) Termina nom. pl. etiam in Corp. Insc. Lat. 199; et sæpius apud gramaticos ablativus terminibus invenitur; Festus v. termonem ex Ennio affert „termo, græca consuetndine", quæ forma in eius tragœdiis non exstat.

bant, quem nunc opulentum, ut testimonio est non solum ei contrarium inops.... concedit; ego egens exortus sum"; lacunam sic implevit Scaliger: „sed etiam cops, ut: is", idemque correxit concedit in „cops edit", ubi Ribbeckius mavult: „ops exit" (inc. inc. fab. 44)[1]). Ops substantivum an adiectivum sit, incertum est; Prisc. §. 42 substantivum putat esse: „potest tamen et in feminino genere hic intelligi figurate coniunctum masculino, ut si dixisset: quorum genitor auxilium fuit gentibus".

Castra ab Attio feminino sgl. usurpari, Nonius 200 dicit, afferens Att. Aen. (16): castra hæc vestra est; sed nescio an *hæc* ad substantivum fem. sgl. antecedens referendum, itaque hic facile castra pluralis sit accipiendus.

Singularis pro plurali: divitia Att. 265, inimicitia Enn. 327, Pac. 111. Att inc. fab. 38 ap. Char. 1, 75: „inimicitiæ et insidiæ pluraliter dici debent, sed Salustius de insidia prima inquit, et Accius inimicitiam dicit"; (sed inimicitiæ Att. 42).

Contra iuraiuranda, pluraliter positum, affert Festus v. manticulum (Pac. 378): „tactu an sanctiora dicis iuraiuranda?"; num tamen hæc verba Pacuvio attribuenda sint, recte dubitat Ribbeckius.

Parens masc. gen. etiam de matre dicitur; cf. Char. 1, 15, 79, qui affert Pac. Medo (Ribb. 220): te, sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis (i. e. matris).

Socrus masc. gen. Att. 198: a socru suo; cf. Prisc. 698, Non. 223, qui etiam e Nævio affert socri tuo.

Char. 1, 15, 64: „puer et in feminino sexu antiqui dicebant, ut Græci ὁ παῖς καὶ ἡ παῖς, ut in Odissia vetere, quod est antiquissimum carmen: mea puer, quid verbi ex tuo ore audio; et in Nelei carmine æque prisco: saucia puer... filia sumam, ubi tamen Varro cum a puera putat dictum, sed Aelius Stilo magister eius et Asinius contra"[2]).

Quadrupes fem. gen. Pac. 2: quadrupes tardigrada; Enn.

---

[1]) Similiter frux pro frugi ap. Enn. Ann. ap. Prisc. 6, 18, 90: Sed quid ego hæc memoro? dictum factumque facit frusc.

[1]) Puer fem. etiam in Liv. Andr. Od. sancta puer, Næv. bell. Pun. II. prima incedit puer, ap. Prisc 6, 8, 42, qui tamen dicit 11, 5, 21: licet inveniantur vetustissimi protulisse et *hæc puera* et hic et hæc puer.

156: quadrupedem invictam; Næv. 30: mutas quadrupedes; contra masc. Att. 381: vis citatum quadrupedum.

§. 8. Adjectiva et Numeralia.

1. Serv. ad Virg. Aen. 6, 685: „sciendum, antiquos et alacris et alacer, acris et acer tam de masculino quam de feminino genere dixisse"; sic alacris masc. Enn. 111: iuvenum cœtus alacris, ap. Char. 2, 18, 22 [1]).

Veter nom. sgl. pro vetus Att. 481: veter fatorum terminus; Prisc. 607 etiam ex Enn. Ann. hanc formam affert.

Egregius in superlativo facit egregiissimus Pac. 230: mulier egregiissima forma [2]).

2. Adiectiva abundantia:

Sublimus pro sublimis Enn. 2: sublimas subices, Att. 563 sublimo vortice, Att. 576 sublima evolat; Non 489 affert etiam e Sallustio: sublima nebula; Lucr. 1, 340 sublima cæli.

Futtilus Enn. 266; alias semper futtilis.

Pro exanimis tragici exanimus ponunt Att. 595, Pac. 203; quadrupes.. inanima Pac. 4.

Indiges pro indigus Pac. 328: indigem liberum lacerasti.

Mansues pro mansuetus Att. 453: mansues misericordia [3]).

Indecoris vita Att. 193 pro indecora; Prisc. 6, 9, 47 affert etiam e Nævio decorem Dianam, e Sall. equis decoribus; Virg. habet indecorem et indecores (Aen. 7, 2, 31; 11, 420; 845; 12, 25, 679).

Perpes pro perpetuus Pac. 188: concorditatem perpetem; Pac. 208: operam perpetem.

Reses pro residuus Pac. 28: desidere in lecto residem; cf. Fest. 281: „reses et residuus dicitur ignavus, quia residet".

---

[1]) Sic alacris masc. etiam ap. Terent. Eun. 2, 3, 13. Virg. Aen. 8, 380, 6, 685; acris masc. in Enn. Ann. ap. Prisc. 5, 3, 17; 6, 7, 40; celeris Cat. ap. Prisc. 7, 11, 57. Contra femininum in er exit ap. Nævium b. P. fames acer, Enn. Ann. acer hiems ap. Prisc. 5, 3, 17; Liv. Andr. o celer hasta ap. Prisc. 7, 11, 57; Lucr. 4, 160 celer origo.

[2]) Egregiissimus etiam ap. Gell 14, 5, 3; egregius comp. neutr. Juv. 11, 13; Luc. 4, 467. Char. 1, 17, 57 ex Ennii Ann. affert celerissimus equitatus; Prisc 7, 11, 57 celerissimus rumor.

[3]) Mansuetem Pl. Asin. 1, 2, 19; mansuem Varr. ap. Nov.; mansues Varr. ap. Fest. s. v.; similiter quietem mentem Næv. ap. Prisc. 11, 58 pro quietam, sacrem porcum Enn. Ann., Cat, Plaut. Men. 2, 2, 16; Rud. 4, 64 ap. Fest. s. v.

Dua neutr. pro duo legebatur Att. 655 „video sepulcra dua duorum corporum“, sed recte Orellius e cod. Viteb. emendavit duo, quum dua nonnisi in nonnullis inscriptionibus ap. Marini atti de frat. Arv. p. 48 inveniatur et Quinctilianus 1, 5, 14 hunc usum improbet.

Duo pro duos affert Char. 1, 21, 67 ex Attio (321): Martes armis duo congressos crederes; cf. Char. 1, 17, 24: „nonnulli Græcos secuti, quia illi τοὺς δύο et τοὺς ἄμφω dicunt, hos duo et hos ampho dixerunt“ [1].

§. 9. Pronomina.

1. Accusativus pronominum personalium sæpius in d exit: ted exposco Enn. 142, ted ipsum Enn. 293, ted erga (ted corr. Vossius, libri te) Pac. 248, med obiurgat Enn. 193; hæ formæ ablativi primo fuisse videntur [2], sed insequente vocali, ne hiatus existeret, etiam accusativi loco usurpabantur [3].

2. Mehe pro me; cf. Quinct. 1, 15, 21: „mehe quoque pro me apud antiquos, tragœdiarum præcipue scriptores, in veteribus libris invenimus“. Hoc loco innixus Ribbeckius Pac. 143 coniecit: mehe piget paternum nomen, maternum pudet profari (ubi libri falso mihi) [4].

4. Pro vostrum gen. plur. vostrorum posuit Pacuvius 62: is vostrorum uter sit, cui signum datum est, cette [5].

5. Sapsa pro ea ipsa Pac. 324: nam Teucrum regi sapsa res restibiliet. Quæ forma quomodo intelligenda sit, apparet e Festo v. sum: „sum pro eum usus est Ennius Ann. l. I: at tu non ut sum summam servare decet rem, et l. II: at sese, sum

---

1) Duo acc. etiam Ter. Adelph. 5, 3, 23; alia exempla ap. Drakenb. ad Liv. 35, 21, 5; Oudend. ad Cæs. B. 9, 9, 7, 33; Otto in Cic. Rep. 12 excurs.

2) Med abl. Corp. Ins. lat. I, 1009, 1028, 1103; ted ib. 204; I, 32; II, 26; sine ted Plut. Cas. 1, 2; abs ted Pl. Asin. 4, 1, 27; med haud invita Pl. Amph. 2, 2, 3; med absente Pl. Men. 3, 2, 27; absque ted ib. 5, 7, 33; abs ted Mil. 4, 8, 31, ex ted Most. 2, 1, 18.

3) Acc. iam in inscr. tab. myst. Mus. Kirch. ap. Orell. 2497 med, Sen. Cons. de Bacch. inter sed, tab. Bant. apud sed; Plauti loca affert Charis. 1, 19, 3; Diom. 2, 436.

4) In lingua umbrica mehe dativus est, ut tebe pro tibi.

5) Sic etiam Plaut. Most. 1, 3, 123; Pœn, 4, 2, 39; Stich. 1, 2, 84; Truc. 1, 1, 40; Aul. 2, 4, 42; Pseud. 1, 2, 53; Cæcil. ap. Gell. 2, 23, 10; Ter Enn. 11, 4, 10; Hec. 2, 1, 43.

quæ dederat in luminis oras;" id v. sas: „sam l. III. fatendum est eam significare, cum ait (Ennius): nec quisquam sophiam, sapientia quæ perhibetur, in somnis vidit prius quam sam discere cœpit. Idem (Ennius), cum ait sapsam pro ipsa; nec aliter ponit in libro XIII: quo res sapsa loco sese ostentatque iubetque; et Pacuvius in Teucro: nam Teucrum regi sapsa res restibiliet". Sapsa igitur pro ea ipsa vel eapse dicitur, quæ forma in reapse Pac. 26, 374 pro re eapse, re ipsa, et in eumpse Pac. 39 exstat; cf. etiam Paul. v. eapse.

6. Is nom. plur. facit is vel es Pac. 221 ap. Char. 1, 21, 125: „im pro eum, nam ita Scaurus in arte grammatica disputavit, antiquos im ques hunc eundem significare consuesse et declinari ita: is eius ei eum vel im, numero plurali is, ut est locutus Pacuvius in Medo: Ques sunt es? ignoti nescio ques" [1]. Sed etsi eis nom. plur. etiam in lege Servil. ap. Grut. 506, 27; 507, 21; 509, 13, eeis Sen. Cons. de Bacch. 34, ieis leg. Put. par. fac. ap. Grut. 207, 3 invenitur, num tamen Pacuvius in isto versu scripserit is, magnopere dubium est, quum Charisius 1, 17, 71 et Priscianus 13, 3, 13 eundem versum sine *es* afferant (ques sunt? Char.; ques sunt isti? Prisc.).

7. In eodem Pacuvii versu (221) qui nom. pl. facit ques; cf. Char. 1, 17, 71: „Sed et plurali nominativo variaverunt, qui proferentes et ques, unde et dativus duplex in usu nobis est; quis enim et quibus dicimus, in alio qui, in alio ques declinantes; nam nominativus pluralis i littera terminatus accipit semper es et facit dativum ut di dis, ita etiam qui quis; si vero es terminetur nominativus, bus syllaba terminari debet dativus, ut duces ducibus, ita ques quibus. Ques autem veteres dixisse testimonio est Cato, qui ait Originum II: quescunque Romæ regnavissent, et Pacuvius ques sunt? ignoti nescio ques ignobiles". Char. 2, 3, 11 declinat: „pluraliter ques, cuium, quis, ques". Prisc. etiam quesdam ex Attio affert: „nominativum pluralem non solum in i et æ, sed etiam in es, qui quæ vel ques, accusativum etiam quos quas vel ques, ut Pac. in Medo (Ribb. 221): ques sunt isti; Cato: quescunque Romæ regnavissent; Attius in Neoptolemo

---

[1]) Cf. Paul. Fest. IX. v. calim, v. em, v. emem; Macr. Sat. 1, 4 e tabulis XII im affert; etiam Cic. leg. 2, 24, 60, Schol. Hor. Serm. 1, 9, 70; Gell. 20, 1, 45; cf. Neue lat. Gr. II, 138.

(Ribb. 427): sed quesdam..." Invenitur ques etiam in Sc. de Bacch. et apud Catonem, cuius origines incipiebant: si ques homines; cf. Serv. de octo part. orat. (ap. Wase de senar. 3), Serv. Virg. Aen. 1, 95, Pompei. comment. in Donat. 19, 18.

Queis abl. plur. Att. 527, quis Pac. 212. Gen. sgl. quoius pro cuius Enn. 157; Att. 417; Pac. 94; quoi pro cui Enn. 78.

8. Formæ quis, qui apud tragicos promiscue et substantivi et adiectivi loco, quis etiam de genere feminino usurpantur. Quis adiectivi loco positum Enn. 191: quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentia? Att. 424: quis non mortalis? Att. 554: quis tu es mortalis?

Qui substantivi loco positum Enn. 144: nomen qui usurpat meum? Att. 64 qui ducat? Att. 343 qui sis, explica; ib. 414 qui vos pascet postea? ib. 458 qui erit qui..., ib. 562 qui salsis fluctibus mandet me ex sublimo vertice saxi? inc. inc. fab. 99: qui repens strepitu terret?

Qui pro quis i. e. aliquis Næv. 17: ne qui hinc referat nuntiam, Pac. 42: ne qui attulat, Enn. 228: ne vim qui attulat.

Quis feminino genere usurpatum; cf. Dion. 2, 42, 9: „secundus modus soloecismi est per immutationem generis pronominum, ut quis mulier, cum dici debeat quæ mulier; apud Pacuvium (Ribb. 239): „quis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine?" pro quæ, masculinum quis pro feminino attribui posse veterum auctoritas voluit; Livius: mulier, quisquis es, te volumus; (34) Cæcilius: quæso igitur, quisquis es, mea mulier; Pacuvius: quisquis tu es mulier, quæ me insueto nuncupasti nomine; Ennius (Ribb. 345) et quis illæc, quæ lugubri succincta est stola" [1]. Pompeius comm. in art. Don. 19, 14 Græcum τίς comparat.

II. De Coniugatione.

§. 10. Sæpissime a tragicis verborum, quæ plerumque deponentia sunt, forma activa pro passiva usurpatur:

Altercas Pac. 210 (etiam Ter. Andr. 4, 130).

---

[1]) Alia exempla ap Neue II. 161.

Adsentio Att. 50, assensit Att. 476; cf. Var. ap. Gell. 2, 25, 9: „Sisenna unus adsentio in senatu dicebat et eum postea multi secuti neque tamen vincere consuetudinem potuerunt".

Aucupo Pac 96; Enn. 218; Att. 615, 407.

Auguro Enn. 245, Att. 86, 497; Pac. 78.

Bacchor passive Santra ap. Non. 78: „ita oppletum sono furenter ab omni parte bacchatur nemus" [1].

Calvor passive Pac. 240: „sentio te vocis calvi similitudine" [2].

Experior passive Att. 687: „multa inventa expertaque ex hoc sunt bona".

Contemplo Næv. 4, Enn. 243, Att. 557; contra deponens exstat ap. Enn. 101: „contemplatur, unde corporaret vulnere" [3].

Cuncto Enn. 148, Att. 72 [4].

Digno Pac. 213, 166; Att. 447; dignor passive Att. 231, 474 [5].

Aggredio Pac. 310: „templa prope aggredite", e coni. Ribb.; regredere inf. Enn. 5: „quo nunc gradum regredere conare?" [6] Contra deponens aggredior legitur ap. Pac. 377, Att. 199.

Imito Liv. Andr. 1 [7].

Largio Att. 282, sed largior inc. inc. fab. 136.

Misereo Enn. 168: miserete anuis; sed misereor Att. 328, Pac. 354.

Minito Liv. Andr. 17 [8]; misero Att. 195, sed dep. Att. 353.

Modero Pac. 306, Att. 303 [9].

Moro Pac. 181 [10]; sed deponens Att. 173, 9.

Munero Att. 446. Opino Enn. 132, Pac. 101; sed opinor Enn. 270.

Opitulo Liv. Andr. 20; sed depon. Pac. 257 [11].

---

1) Sic etiam Virg. Aen. 3, 125 bacchatum Naxum, Claud. rap. Pros. I, 205 Ida bacchatur.

2) Prisc. 10, 2, 13 etiam e Salustii Hist. affert calvi pro decipi.

3) Plautus activum sæpius pro passivo posuit; cf. Neue Lat. Gr. II.

4) Etiam Plaut. Cas. 4, 2, 13. Tac. Ann. 3, 46.

5) Dignor passive etiam Cic. œc. ap. Prisc. 8, 4, 19; Cic. or. 3, 7, 25; id. d. inv. 2, 39, 114.

6) Aggredio etiam Plaut. Truc. 2, 1, 40; aggressus sum pass. Just. 7, 6, 5; etiam Cic. ap. Prisc. 8, 4, 17.

7) Etiam Ov. Met. 9, 480. Quinct. 11, 3, 61. Cic. Un. 3.

8) Etiam Plaut. Capt. 3, 5, 85, et Plaut. ap. Non. 473.

9) Etiam lex ap. Cic. leg. 2, 9, 22; Sall. Jug. 73, 4.

10) Etiam Plaut. Asin. 3, 5, 85; Næv. Enn. ap. Diom. 1, 395.

11) Ordibo pro ordibo legi vult Ribbeckius Att. 95 ap. Non. 39, 21.

Adorio Næv. 17. — Partio Att. 265, Liv. 4, Pac. 73, Enn. 281 [1]). Amplexo Att. 70 [2]). — Populo Pac. 79. — Præstolo Liv. 23. Prœlio Enn. 6 [3]). — Rimo Pac. 71, 203, sed rimor inc. inc. fab. 83. Sortio Enn. 112 [4]). — Tuto Næv. 21, Pac. 298, sed depon. Att. 168. Tumultuo Att. 236.

Contuo Pac. 6, Enn. 58, sed tuor inc. inc. fab. 70.

Ulcisco Enn. 134, also pro ultus ero Att. 239 [5]).

Vago Pac. 225, 382; Att. 236, 409, 411; Enn. 151 ap. Non. 467, qui etiam Turpilium, Varronem, Plautum Mil. 2, 15, 4 affert.

Venor passive Enn. 254: „undique venor" ap. Non. 187, qui explicat: venor circumvenior.

Contra nonnulla verba deponentia sunt, quæ alibi plerumque activa forma usurpantur:

Adiutor Pac. 98, 157; Att. 103 ap. Non. 74, 477, qui ex Afranio etiam adiutamini, e Lucilio adiutatus affert.

Certor pro certo Nonius 473 e Pacuvio 25 affert: „an quis est, qui te esse dignum quicum certetur putet"? ubi tamen certetur passivum, impersonaliter dictum, esse potest; certor deponens nonnisi Hyg. fab. 273 invenitur.

Fatiscor Att. 350, Pac. 154 [6]).

Labascor Nonius 473 ex Attio affert (Ribb. 684), ubi tamen metrum poscit labascat pro labascatur, quapropter Ribbeckius e cod. Bamb. restituit labascat.

Ruminor Liv. 8.

§. 11. De modis et temporibus.

1. Infinitivus præs. pass. sæpius in ier finitur: argutarier Enn. 263; enicarier Pac. 126; divexarier Pac. 201; adiudicarier inc. inc. fab. 231; opitularier Pac. 287; volvier Att. 395; convestirier inc. inc. fab. 137; nitier inc. inc. fab. 231.

2. Participium præs. act. more Græcorum, qui n et t ante

---

[1]) Sæpius etiam ap Plaut., Lucil., Lucr.; cf. Non. 473.

[2]) Etiam Q. Claud. ap. Prisc. 8, 5, 27; Cic. Cluent. 44, 124; Plaut. Pœn. 5, 4, 60; Petron. 63, 8.

[3]) Prœliatum est passive Justin. 19, 9.

[4]) Etiam Plaut. Cas. 2, 6, 43; Var. ap. Non. 471; tab. Heracl I.

[5]) Ulcisci passive Sall Jug 31, 8; Liv. 2, 17, 7; 9, 22, 9; Val. Fl. 4, 753.

[6]) Etiam Lucr. III, 458; V, 308. Front. princ. hist. 4, 110; id. bell. Parth. 1.

s semper abiiciunt, eliso n sæpius in s exit. Enn. 110: „ignotus iuvenum cœtus alterna vice inibat alacris, Bacchico *insultas* modo“. Att. 354: „quid. te miseraris, me . . tuam solitatem *memoras formidas* tibi?“, ubi tamen codicum lectio valde incerta est. Enn. 100: „scrupeo investita saxo atque ostrei squamis scapres“, sic coniecit Corssenius, scapres participium a scapreo accipiens [1]; Ribbeckius contra legi vult: scrupeo investita saxo atque ostreis squamæ scabrent, sed falso, quum Nonius 169 ad scapres hunc ipsum Ennii locum afferat [2].

3. Pro tango apud tragicos in præsenti et futuro etiam tago legitur sine n gutturali, quod in tango euphoniæ causa additum esse verisimile est; Pac. 344 tagit, id. 165 tagam, Att. 304 cave attigas, Pac. 228 ne attigat [3]. Ceterum etiam attingam legitur Att. 231, attingens inc. inc. fab. 111, (et Plaut. Merc. 1, 1, 3).

4. Contra n radici additum est in danunt, quam formam Nonius 97 e Pacuvio (207): „spatium ulciscendi danunt“, Nævio, Plauti Pseud. 1, 1, 3, Cæcilio affert. Similes formæ memorantur a Festo: obinunt, prodinunt, redinunt pro obeunt . ., nequinont pro nequeunt, solinunt ferinunt pro solent feriunt, explenunt pro explent.

5. Verborum quartæ coniugationis futurum plerumque in ibo pro iam exit: expedibo Enn. 135, Pac. 66, 281, Att. 490; hostibit Enn. 149, audibit Enn. 277, (sed audies Att. 74, 153), scibo Att. 74, ordibor (an ordibo?) Att. 95. — Imperfectum quartæ in ibam pro iebam: aibant Att. 389, scibam Att. 37, inc. inc. fab. 87, Enn. 278 Att. 630 mollibat, Enn. 396 pinsibant.

6. Perfectorum in si, xi, di exeuntium secunda persona sgl. et pl. indicativi et infinitivus syllabam *is* sæpius elidunt;

---

[1]) Scapres pro scabres; p pro b hic ponitur, ut alias b pro p; cf. Cic. Or. 48, 160: „Burrum semper Ennius, nunquam Pyrrhum; vi patefecerunt Bruges, non Phryges; ipsius declarant libri“; Quinct. I, 4, 15: „sed B quoque in locum alienum dedimus aliquando, unde Burrus et Bryges et Belena“; alia exempla sunt buxus *(πύξος)*, Buxentum, burrus *(πύῤῥος)*, balatium. Cf. Corssen Ausspr. 128

[2]) Alia eiusmodi participia Lucretius, Plautus, alii usurparunt; vide Neue l. c II, 313; Corssen Ausspr 252.

[3]) Nonius 408 tago etiam e Turpilio, Plauto Mil. 4, 2, 100, Bacch. 3, 3, 16; Ter. Andr. 4, 4, 50 affert; Diom I, 378 e Plaut. Most. 2, 2, 57. Attigeret etiam Corp. Insc. I, 198, attigat ib. l. c.

sic scripstis pro scripsistis Enn. 173, dixti Pac. 273, occisti Pac. 321, exstinxti Pac. 229, illexe pro illexisse Att. 205. In percepset inc. inc. fab. 59 („istius percepset audaciam“) pro percepisset i eliditur, quamquam s, x, d non antecedit; clepse pro clepisse ap. Att. 535, quod nonnulli huc pertinere volunt, incerta tantum coniectura est, præsertim quum clepo perraro aut nunquam in perfecto clepi declinetur; cf. Neue II, 420.

7. Perfectum coniunctivi et futurum exactum interdum in sim, so pro erim, ero finiuntur; in primæ et secundæ coniugationis verbis s tum conduplicatur; infinitivus primæ in assere terminatur.

Primæ coni. sunt: averruncassint Pac. 112, turpassis Pac. 123, mactassint Enn. 288; inf. averruncassere Pac. 236.

Secundæ: prohibessis Enn. 239, ausis Att. 147.

Tertiæ: capsit Att. 454, accepso Pac. 325, axim Pac. 297, transaxim Pac. 209, surempsit inc. inc. fab. 236 ap. Fest. 298: „suremit sumpsit: inque manum suremit hastam; et puerum surempsit, puerum sustùlerit“, et Paul. 299: „suremit sumpsit, surempsit sustulerit“; ulso Att. 293: nisi genitorem ulso (libri ullo; Vossius recte correxit ulso); faxis Enn. 303, Pac. 123; faxsit a faxo Pac. 424; Att. 556.

8. Nonnulla perfecta alia atque vulgari forma exstant:

Scindo—scicidi, cf. Prisc. 1, 6, 30: „Antiquissimi etiam scicidi dicebant, quod iuniores scidi dixerunt“; id. 10, 4, 24: „sed Afranius more antiquo dixit in Homine: Satis fortiter paulo vestras scicidistis colus; Attius Sotadicorum l. I: non ergo aquila ita, ut hi prædicant, sciciderat pectus (Gell. 7, 9, 15 eundem locum afferens legit sesciderat, quod Hertzius mutavit in sciciderat); Nævius in Testicularia: Immo quod scicidimus, conscindam atque abiiciam; *Ennius* in Melanippa (Ribb. 254): Cum saxum sciciderit. Et videntur rationabilius protulisse, ne minorum sit temporum præteritum quam præsens, quod rarissime invenitur“.

Fero — tetuli, cf. Non. 178 „tetulit tulit; Accius Andromeda (Rib. 116): Donec tu auxilium, Perseu tetulisti mihi, Cæcilius Hypobolimæo: Aerumnam pariter tetulisti meam“; tetuli etiam inc. inc. fab. 25; alia exempla ap. Neue II, 357.

Teneo — tetini; cf. Non. 178: „tetinerit pro tenuerit; Pacuvius Medo (Ribb. 226): Credo, quorsum itinere tetinisse

aiunt; Accius Clytæmnestra (Ribb. 39): Ut quæ tum absentem rebus dubiis coniugem tetinerit, nunc prodat ultorem; Pacuvius Hermiona (Ribb. 172): tuo sub iudicio, quæ omnes tetinerim gradus"; cf. Diom. 1, 363, Paul. exc. Festi. Hoc perfectum tragicis proprium est, neque alias invenitur.

Pario — pariit pro peperit Enn. 376 ap. Varr. LL. 7, 2, 16: „Latona pariit casta complexu Iovis" (libri parit, Scaliger pariit coniecit).

Moneo — moni Enn. 112: di monerint meliora; Pac. 30: quod me moneris, effectum dabo [1]).

Clepo num clepi declinet, dubium est. Att. 535 libri legunt clepsisse, ubi Hermannus opusc. III, 116 et Reizius audacius clepisse scribi volunt; alii clepse pro clepisse. Ap. Pac. 185: „sermonem hic nostrum ex occulto clepit" clepit præsens esse potest; clepsi certe ap. Manil. 1, 27, Lucr. ap. Varronem LL. 7, 5, 94 legitur.

Agnosco in supino facit agnotum Pac. 382 „agnota est soror" ap. Prisc. X, 887.

§. 12. Abundantia, i. e. verba, quæ diversam coniugationem sequuntur, apud tragicos permulta inveniuntur:

Tertiæ verba e quarta formas usurpant: pinsibant pro pinsebant Enn. 396, suppetiat pro suppetat Næv. 93.

Quartæ e tertia: evenat Enn. 170 „utinam mortem oppetam, priusquam evenat"; poti Pac. 217, potere Att. 368, poteretur Att 590.

Primæ coni. verba tertiam sequuntur: sonere pro sonare, Att. 470, 225; Att. 570, Enn. 150 sonit; Enn. 69 sonunt; Pac. 114, Att. Aen. 2 resonit; sed sonat Gracch. 2, sonant inc. inc. fab. 232, sonantibus Att. 571, resonantes Pac. 223, resonando Att. 551. — Lavere tragici semper pro lavare usurpant; cf. Diom. 1, 377. — Boere pro boare Pac. 223: colles resonantes bount. — Nexere pro nexare Att. 130 ap. Prisc. 9, 6, 33: „nexo nexas vel nexis, ut Probo placuit (2, 3, 13), nexui. Virgilius tamen in V (v. 279): „Nexantem in nodis seque in sua membra plicantem, secundum primam protulit coniugationem; Livius vero in Odissia: Nexebant multa inter sese flexu nodorum dubio (sed

---

[1]) Memorderit pro momorderit Nonius 140 ex „Attio in Conciliatrice" affert, sed legendum Atta in Conciliatrice (cf. Neue l. c. II, 350).

eundem versum afferens Prisc. 10, 8, 44 legit nexabant); *Attius* in Deiphobo (Ribb. 130): Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus . .". Cf. et etiam Claud. Sac. art. gram. 2, 178 Eutych. 2, 17: „nexo tam nexas quam nexis invenitur, ut Attius in Deiphobo: nos continuo . . . [1]).

Secundæ coniugationis verba tertiam sequuntur:

Fervĕre pro fervēre Næv. 54, Att. 631; fervit Att. 453, Pac. 416, Att. 450, fervat Att. 2 ap. Non. 503. — Fulgĕre Att. 251, Pac. 229. — Pro strideret Att. 56 ap. Prisc. 9, 8, 45 idem Priscianus alio loco (10, 5, 29) legit striderat, quapropter num hoc verbum huc pertineat dubium est.

Cluĕre pro cluēre; Att. Brut 39: „consul cluat„; Att. 463: „ex taurigeno genere ortum esse an humano cluam?"; tamen uterque locus incerta tantum coniectura nititur, præsertim quum alias cluere semper secundam coniugationem sequatur, ut Pac. 194 cluentur, Att. 533 ignis cluet divisus, inc. inc. fab. 42 „hæc cluet Minerva".

Contuo pro contueor Enn. 58. Pac. 6, sed contueri Att. Brut. 26. Optui Att. 285, 319; intui Att. 614; sed intuentur Pac. 410.

Contra secundam coni. sequuntur: abnueo pro abnuo, cf. Diom. 1, 378: „Apud veteres et abnueo dictum annotamus, ut Ennius octavo Annalium: certare abnueo, metuo legionibus labem; item in Telamone (Ribb. 284): „ex eo futurum abnuebunt" (ubi tamen nonnulli libri et Putschius legunt abnuebant). — Frendĕre pro frendēre Pac. 10: „frendĕre noctes, misera quæ perpessa sum"; contra frendo Pac. 11, frendas Att. 478.

§. 13. Præsens tulo a tragicis sæpius pro fero usurpatur; cf. Macr. de Diff. gr. lat. verb. II, 296: „Accius in Andromeda etiam ex eo quod est tulo quasi a themate tuli declinat: nisi tulat opem (Ribb. 102)"; etiam Pacuvius 228 hoc præsenti utitur: „ne vim qui attulat".

Nivit præsens pro ninguit Pac. Paul. 4: „sagittis plumbo et saxis grandinat, nivit".

---

[1]) Neuius (l. c. II, 323), quum Livii loco Priscianus ipse dissentiat, nexebant legens et nexabant, apud Attium vero neximus an perfectum sit nesciamus, formam nexere valde incertam esse censet, sed falso, quum nexere a grammaticis sæpius citetur.

Quæso pro quæro Næv. 1, Pac. 200, quæsit Enn. 199, liberum quæsendum causa Enn. 97, liberorum sibi quæsendum gratia Enn. 120.

Sum secunda persona sgl. facit essis pro es Att. Aen. 16: „optume essis meritus a nobis“, quæ forma alias non invenitur. Pro sis, sit.. legitur sies Att. 310, siet Enn. 244; Pac. 12, 17; Att. 19, sient inc. inc. fab. 195; sed multis locis etiam sis, sit invenitur (cf. Rib. ind. v. sum). Aliud præs. coni. est fuam, quod Non. 111 falso pro fiam dictum esse censet; fuas Liv. 21, fuat Enn. 142, Pac. 116, inc. inc. fab. 122; Curtius de lat. aor. rel. fuam aoristum esse falso iudicat.

Superescit apud Attium 266: „qui huic superescit, Spartam ei atque Amyclas trado ego“ futuri significationem habet; cf. Fest. 302: „superescit significat supererit“ et Paul. 77, 188. Eandem formam affert Festus ex Ennii annalibus (486 Vahl.): „Unus homo Romanus toga superescit“; escit pro erit iam in XII tabulis legebatur ap. Gell. 20, 1, 25, Fest. v. nec, Macr. Sat. 1, 4, Ulpiani fragm. 26, 1. Tamen escit non simpliciter par *esit, i. e. erit* (cf. Varr. LL. 7, 3, 26) positum est, ut censet Neuius l. Gr. II, 466, causam habens quod in libris sæpius iuxta esit et escit legantur (sic Gell. 20, 1, 25, Lucr. I, 619), sed est verbum inchoativum, sco suffixo cum verbi „esse“ radice coniuncto, ut gnosco a gno et sco suffixo derivatur; cf. Corssen krit. Beitr. p. 36.

§. 14. Verborum posse, quire, nequire passivum singulari modo positum invenitur, si infinitivus pass. accedit.

Possum Pac. 100 „si qua potestur investigari via“ [1]).

Queo Att. 662 ap. Diom. I, 380: „nam neque pretio neque amicitia neque vi impelli neque prece quitus sum“; id. 664: „unde omnia perdisci atque percipi queuntur“.

Festus „nequitum et nequitur pro non posse dicebant, ut Pacuvius, cum ait: sed cum contendi nequitum, ut cum clam. tendenda est plaga“ [2]).

---

[1]) Ap. Non. 508, qui etiam affert Quadrig.: memorari vix potestur et: cum non possetur decerni, Cæl. Antip.: bellum geri poteratur. Diom. 1, 388 affert Ennium: retrahi potestur, e Scauro poteratur et possitur; Festus Scipionem affert.

[2]) Citat etiam Plautum in Satyrione, Cat. origg. l. 1; queantur etiam Plaut. Pers. 2, 2, 12; ib. Rud. 4, 4, 20 nequitur; Ter. Hec. 4, 1, 57

§. 15. Verba, quæ alias impersonalia sunt, apud tragicos sæpius personaliter usurpantur: Att. 101 „cum ninxerint cælestium molem mihi; Enn. 168 „miserete anuis" (contra Pac. 374 „miseretur tui" impers., ubi supplendum me); Pac. 31 „prologui non pœnitebunt". Ap. Att. 310: „neque te neque quemquam arbitror tuæ pœniturum laudis" nescio an „pœniturum" impersonaliter usurpatum sit.

Contra veretur impersonale est Pac. 183: „contumeliam, cuius te veretur maxime", Att. 76: „si tui veretur te genitoris"[1]).

III. Adverbia, Coniunctiones.

§. 16. 1. Adiectiva in us adverbia sæpissime in iter faciunt pro e: æquiter Liv. 3, Enn. 1, Pac. 73, Att. 120; duriter Enn. 265; sæviter Enn. 145, sæviter ferre Enn. 266, Att 174; amiciter fecisti Enn. 131; properiter Pac. 332, Att. 629; temeriter Enn. inc. 64, Att. 96; ampliter Att. 282. Cf. etiam Prisc. XV, 1010:„ Ennius proterviter, ignaviter, inimiciter, iracunditer, superbiter, temeriter, præclariter, torviter, puriter, reverecunditer, miseriter, prosperiter", e quibus in Ennii tragœdiis exstitisse videntur tria hæc: temeriter, reverecunditer, miseriter, quum abhorreant a dactylis[2]). — Contra celere pro celeriter usurpat Pacuvius Paul. 2. — Sempiternus facit sempiterne Pac. 234, quum sempiterno, ut in omnibus qui tempus significant adiectivis, dici oporteat.

2. Adverbia a participiis: cupienter Enn. 256, Att. 534; famulanter (a famulor) Att. 622; celeranter Att. 123. Etiam rarenter Liv. 22, Enn. 67 huc pertinet.

3. Adverbia, quorum adiectiva aut non aut raro inveniuntur: unose Pac. 213; debiliter significat debilitate Pac. 355 („lacrimis lingua delibiter stupet"); iniurie pro iniuriose Næv. 42; stupre Nel. car. 2 (i. e. turpiter; cf. Fest. 317: stuprum pro

---

non quita est. Lucr. 1, 10, 45 queatur; Gellius 20, 1, 52 non quita est. Cf. Neue II, 473.

[1]) Ipse Cicero fin. 2, 13, 39: „quos non veritum est".

[2]) Vide Ribb. p. 62.

turpitudine antiqui dixerunt"); regifice Enn. 85 (regificus nonnisi Virg. Aen. 6, 605 invenitur), hostifice Att. 82 (hostificus Att. 80); miuitabiliter Pac. 15, Att. Aen. 11; indecorabiliter Att. 258.

4. Adverbia in im: cautim Att. 77, 541; disertim Liv. 35 (Non. 509, 29 explicat „plane, palam") Att. 350; iuxtim Liv. 11; guttatim Enn. 172; visceratim Enn. 106.

5. Substantiva adverbii loco usurpata: ingenio cf. Non. 323: „ingenio veteres dixerunt et sua sponte vel natura; Nævius (28): ingenio arbusta ubi nata sunt, non obsita". — Numero significat 1) illico, extemplo ap. Næv. 65: neminem vidi qui numero sciret quod scitu est opus; 2) nimium in Nel. carm. ap. Fest. 170 „nunquam numero matri faciemus volup: numero id est numquam nimium . . ."); 3) cito Att. 503: „numero te expugnat pudor", ap. Non. 452, 17.

6. Notandum est facul pro facile Pac. 322, 426, Att. 460. — Volup in Nel. carm. 1: „nunquam numero matri faciemus volup", quod alii neutrum adiectivi volupis, e putant esse; cf. Donat. ad Ter. Phorm. 4, 3, 5: „hoc nomen volup est, ut hoc facul, sic enim veteres per *ἀποκοπὴν* loquebantur"; sed quum volupis nusquam inveniatur et volup semper adverbii loco usurpetur, non est cur adiectivum esse volup censeas [1]). — Topper significat 1) cito in Nel. carm. 3: topper fortunæ commutantur hominibus"; 2) fortasse Pac. 427: „topper tecum, sist potestas faxsit; Att. 381: „topper ut fit, patris te eiicit ira"; cf. Fest. 352: „topper significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere".

§. 17. Coniunctiones.

Fest. 360: „At antiqui *tam* etiam pro tamen usi sunt, ut Nævius: quid si taceat, dum videat, tam etiam sciat, quid scriptum sit; Ennius (Ribb. 328): meæ tam potis pacis potiri . . ; Titinius: bene cum facimus, tam male subimus, ut quidem perhibent viri; item: quamquam estis nihili, tam ecastor simul vobis consului". Ut hanc vocis tam significationem declararet, Ritschelius (Plaut. Trin. Prol. p. 14 Rhein. Mus. XV, 399) tamen in tame et tam correptum esse suspicatus est, quoniam n in tamen cum insequenti consonante sæpius syllabam positione

---

1) Cf. Neue l. c. II.

non redderet longam. Hanc Ritschelii opinionem ea de causa non probat Corssenius Beitr. p. 273, quod tam in illis Festi exemplis nequaquam plane pro tamen sit accipiendum et vulgari significationi facile attribui possit. Ennii saltem versus nihil probant, quum ita lacerati et truncati sint, ut certum aliquid colligi nequeat. —

Pacuvius 21 ap. Charis. II, 175: „seque ad ludos iam inde abhinc exerceant“ abhinc de tempore futuro usurpavit; quod nonnisi ap. Symm. Ep. 4, 59 invenitur.

Quoniam Philarg. in Virg. Ge. IV, 437 explicat: „quoniam pro postquam; Pacuvius (392): quoniam ille interit, imperium Heleno transmissum est“, ubi tamen significatio caucalis non excluditur.

Quianam, quod perraro legitur (Virg. Aen. V, 13; Plaut. Tr. 1, 2, 34) pro cur, usus est Attius 584: „Quianam tam adverso augurio Thebis radiatum lumen ostentas tuum“?

Ob antiquos pro ad usos esse testis est Festus 201; sic Att. 385: „tela ob mœnia offerre imperat“; inc. inc. fab. 94 „ob os Grai ora obvertebant sua“; ib. 86: „ad Troiam misi ob defendendam Græciam“.

Pars altera.

De vocabulis, quae alibi aut non aut raro inveniuntur.

I. *De verbis derivatis.*

Tragici, qui acerrimi et fervidissimi erant ingenii et maiestatem populi Romani versibus suis efferre studebant, in iis præcipue vocibus versati sunt, quæ abundantiam quandam et sublimitatem exhibebant. Quare sonoræ in tudo, tas, bilis, osus, scere derivationes et compositio verborum magis apud eos in usu erant, quam posterior urbanitas voluit. Multa huiuscemodi vocabula ipsi nove finxerunt, alia, quæ iam ante tragicos ficta et priscis omnino scriptoribus propria erant, avide captarunt. Plurima autem postea de usu recesserunt; quapropter multa *ἅπαξ λεγόμενα* quæ vocantur in tragicis inveniuntur, et multa, quæ raro tantum a posterioribus usurpata sunt.

§. 18. Substantiva denominativa

1. in tudo exeuntia. *Ἅπαξ λεγόμενα* sunt: Prolixitudo Pac. 124 i. e. verbositas. Geminitudo i. e. inter geminos differentia Pac. 61. Temeritudo pro temeritate Pac. 149. Pœnitudo pro pœnitentia Pac. 313. Honestitudo pro honestate Att. 16, 501. Gracilitudo i. e. gracilitas Att. 88. Noxitudo signif. noxam, crimen Att. 162. Miseritudo i. e. *1)* miseria Att. 185, *2)* miseratio, misericordia Att. 79, 178. Lætitudo pro lætitia Att. 61, 259. Squalitudo i. e. squalor Att. 340. Tetritudo Att. 556. Castitudo Att. 585 pro castitate.

Alibi raro leguntur: Vanitudo Pac. 123, (etiam Plaut. Capt. 3, 4, 37). Tarditudo Att. 69 (etiam Plaut. Pœn. 3, 1, 29). Mœstitudo Att. 616, (etiam Plaut. Aul. 4, 10, 1; Pallad. 1, 26). Sanctitudo Att. 646, 593 ap. Non. 173, 32, qui etiam Turpilium et ipsum Ciceronem affert (etiam Afran. ap. Non. 174, 9, et Claud. Quadrig. ap. Gell. 17, 2, 19). Orbitudo Pac. 135, Att. 94 ap. Non. 146, 18, qui etiam Turpilium affert. Lenitudo Pac. 247 ap. Non. 132, 2 qui etiam Turpilium affert (et Cic. Acc. 4, 61, 136). Vastitudo i. e. *1)* magnitudo Att. 615 „vasti-

tudo corporis"; cf. Fest. 372 „vastum pro magnum"; (sic etiam Gell. 5, 14); *2)* horror, desertio, contagium, cf. Non. 184, 30; Att. 374: vastitudine deformatus, Pac. 314: inculta vastitudine, Att. 455: quæ vastitudo . . invasit mihi? (sic etiam formula ap. Cat. R. R. 141, 2). Anxitudo Pac. 164, Att. 154, 343 ap. Non. 73, 30, qui etiam Cic. Rep. affert. Acritudo Att. 466 (etiam Gell. 10, 27; Appul. Met. 9, 17).

2. in *tas.* *῞Απαξ λεγόμενα* sunt: Concorditas pro concordia Pac. 188. Discorditas Pac. 178 (sed discordia Att. 587). Grandævitas Pac. 162, Att. 68, 245. Famulitas i. e. servitus Pac. 53, Att. 117. Segnitas pro segnitia Att. 108, Att. Aen. 7. Angustitas pro angustia Att. 81, 504. Magnitas i. e. magnitudo Att. 248. Acritas veritatis Att. 467 ap. Gell. 13, 3. Nitiditas figuræ, i. e. splendor Att. 254. Vicissitas i. e. vicissitudo. Att. 586.

Raro alibi leguntur: Dulcitas Att. 460 i. e. dulcedo (fici dulcitas etiam App. de mund. 74, 34). Solitas Att. 352 (etiam App. Met. 9, 225; Tert. adv. Val. 37). Unanimitas Pac. 109 (etiam Liv. 40, 8, 14). Stupiditas Att. 287 (et Cic. Phil. 2, 32, 80). Squalitas i. e. squalor Att. 617 (et Lucil. Sat. 26, 5).

3. in *ia.* *῞Απ. λεγ.* sunt: Tenacia i. e. perseverantia, duritia Enn. 156 ap. Non. 407, 22. Errantia i. e. error. Att. 469.

Alias raro: dividia significat *1)* discordiam, *διχόνοιαν*; cf. Paul. Diac. 70, 15; Gloss. Philox. 77, 57; sic Att. 587: „ne horum discordiæ et dividiæ dissipent divitias"; *2)* tædium Att. 152: „huius me dividia cogit plus quam est par loqui"; (sic etiam Plaut. Cas. 2, 2, 11; Stich. 3, 1, 40; Truc. 4, 4, 3; Bacch. 4, 9, 110; Turpil. ap. Non.). Valentia significat fortitudinem Næv. 3 ap. Non. 186, 23, qui etiam Titinium affert (et in Macr. Sat. 2, 14, 27).

4. Substantivi loco positum est *trabica,* scil. navis, Pac. 406 ap. Fest. 367 „trabica navis, quod est trabibus confixa". Etiam scrupea huc pertinere videtur ap. Att. 431: „reiicias abs te religionem neve scrupeam imponas tibi", i. e. scrupulum, quamquam librorum lectio incerta est et nonnulli scrupeam cum religione coniungi malunt. — Tortum i. e. tormentum, funis Pac. 159: „artus torto distraham". — Serilia Pac. 251 ap. Fest. 343: „serilla Verrius appellari putat navigia Histrica et Liburnica, quæ lino ac sparto condensantur, a conserendo et contexendo dicta, quia dicat Pacuvius in Niptris: nec ulla subscus cohibet compagem

alvei, sed suta lino et sparteis serilibus, cum *περιφραστικῶς* et ficto vocabulo usus sit pro funiculis, qui sparto condensantur".

§. 19. Substantiva verbalia:

1. in *tor*: *delitor* Att. 219 ap. Prisc. 9, 873: „epularum fictor, scelerum fratris delitor"; thes. nov. lat. Aug. Mai VIII, 178 explicatur: „delitor qui aliquem occidit; Accius fictor scelerum, fratris perlitor"; ib. 301: „hic perlitor-occisor, unde Accius: fictor scelerum, fratris perlitor"; a deleo igitur derivari debet, quod in supino etiam delitum facit, ut Varr. et Calv. ap. Diom. I, 372: via delita, Cic. ep. ap. Prisc. 9, 873 litteræ delitæ; *ἅπαξ λεγόμενον* est.

2. in *men*: stabilimen sign. firmamentum Att. 210; *ἅπ. λεγ.* est.

3. in *us*: *spectu* protervo Pac. 147 *ἅπ. λεγ.* *Transmissu* patris Pac. 57; *tonsu* lugubri Att. 86 (et Plaut. Amph. 1, 1, 288). Succussus Pac. 257 (et App. Met. 3, 21; Tert. de an. 49).

4. in *or*: ægror, macor Pac. 275; ægror etiam ap. Lucil. VI, 1129; macor i e. macies etiam Varr. ap. Non. 137, 3: „noster Attius rivalis homo macore macescebat".

5. in *es*: scabres, squales Pac. 314 ap. Non. 168, 20; 226, 5, qui etiam e Varrone hæc vocabula affert.

6. in *x*: *struix* malorum Næv. 64, struices saxeas Liv. 26; cf. Fest. 310: „struices antiqui dicebant exstructiones omnium rerum; Plautus (Men. 101): Ceriales cœnas dat, ita menses exstruit, tantas struices concinnat patinarias...". — Confluges nom. pl. Liv. Andr. 15. ap. Non. 44: „confluges loca, in quæ rivi diversi confluunt; Livius Andromeda: Confluges rivi conventu campum totum inumigant" [1]). — Subex a subiicio ap. Enn. 2: „per ego deum sublimas subices umidas, unde oritur imber sonitu sævo et spiritu" significat id quod cælo subiectum est, nubes; cf. Gell. IV, 17, Fest. 305, Non. 169. Hæc vocabula *ἅπαξ λεγόμενα* sunt.

§. 20. Adiectiva 1. denominativa:

in *osus*: sæptuosus i. e. obscurus Pac. 5 „sæptuosa dictione" ap. Non. 170, 17: „septuose obscure, Livius Antiopa" (ubi legendum Pacuvius Antiopa); *ἅπ. λεγ.* est. Scruposus Pac. 254

---

[1]) Struix et confluges a radicibus stru et flu derivari debent, quibus accedit suffixum ic, ig (g); confluges pro confluiges positum est, ut grus pro gruis, indutiæ pro induitiæ; cf. Schleicher Compend. p. 197, Corssen Beitr. 71; aliter explicat Curtius G. Et. II, 17.

(etiam ap. Plaut. Capt. 1, 2, 82; Lucr. 4, 523 et ap. posteriores). Obnoxiosus i. e. periculosus Enn. 260: „aliæ res obnoxiosæ nocte in obscura latent“; cf. Gell. VII, 17; hac significatione alibi non exstat, quum in Plauti Trin. 4, 3, 31 significet obnoxium, deditum.

in *ulentus:* rorulentus Att. 294, quod etiam ap. Cat. R. R. 37, 4; Col. 5, 6; Plin. 12, 37 exstat.

in *icus:* tenebricus Pac. 158 (et Poeta ap. Cic. Tusc. 2, 9, 22; Tert. pall. 4).

2. Verbalia *1)* in *bundus:* labundus i. e. labens Att. 570 ἅπ. λεγ. est; fremebundus Att. 392 (etiam Ovid. Met. 12, 128; Sil. 3, 463).

2) in *ilis:* Ἅπ. λεγ. sunt: æternabilis i. e. æternus Att. 264. Tabificabilis Att. 421. Ascendibilis semita Pomp. 2. Evocabilis Att. 158 e Ribbeckii coniectura: „sed pervico animo atque evocabili“, ubi libri vorabili. Minitabiliter Pac. 15, Att. Aen. 11. Indecorabiliter Att. 258. — Tum inveniuntur: gradilis Pac. Paul. 5: „qua vix caprigeno generi gradilis gressio est“ (sic coni. Herm. et Ribb.; Prisc. VI, 677 legit gradibilis, sed falso, quum gradibilis significet ascendibilis, ut Auct. Itin. Alex. p. 75, et sententia huius loci requirat significationem „schreitbar“, quam optime exprimit gradilis); gradilis nonnisi apud posteriores iterum inveniter: Amm. 20, 1, 6; Cod. Theod. 14, 17, 2. Inenodabilis Att. 75 (etiam ap. Cic. fat. 9, 13). Aspernabilis Att. 555 (etiam ap. Gell. 11, 3; 16, 8; 20, 1). Optabilis Liv. 7, et impetibilis Att. 91 etiam alias sæpius.

3) in *us.* Ἅπ. λεγ.: squalus pro squalidus Enn. 287; dividus id est separatus Att. 417 ap. Non. 95, 24. — Pervicus pro pervicax Att. 158 etiam in Plauto ap. Non. 487, 15, et iniurus pro iniurius, iniuriosus Næv. 42 in Plauti Pers. 3, 3, 4 exstant.

Notandum est „*infans* facinus“ ap. Att. 189 pro infandum positum, cf. Non. 56, 42: „infans a non fando dictus est . . et est, quod aut dici non debeat aut fari non possit“.

§. 21. Verba verbalia.

1. Frequentativa. Ἅπαξ λεγόμενα sunt: adito Enn. 394; inito Pac. 1; merto Att. 122, 134, cf. Quinct. 1, 4, 14, Paul. Diac. 124, 9; halito Enn. 154; proiecto Enn. 194; concento Pac. 73; succusso Att. 568 signif. frequenter excutere, cf. Non. 16, 28; adaucto Att. Aen. 14; perrogito Pac. 315.

Tum inveniuntur: abnuto Enn. 306 (etiam Plaut. Capt. 3, 4, 70). Lacto a lacio, signif. decipere Pac. 211, Att. 414, 60 (etiam Plaut. Cist. 2, 1, 9; Ter. Andr. 4, 1, 24; 5, 4, 9 et alibi). Tracto significat trahere Enn. 59, Eac. 351 (etiam Lucr. 3, 388; Ov. Met. p. 13, 410).

2. Inchoativa. Ἅπ. λεγ. sunt: matresco Pac. ap. Non. 133, 7: „matrescam matris similis fiam; Pacuvius Duloreste (Ribb. 139): utinam nunc matrescam ingenio, ut patrem ulcisci queam"; huc fortasse etiam pertinet glossa: matrescere μητράξειν; Ribb. tamen coniecit maturescam, sed audacius. Fragesco i. e. frangi Att. 25, 338. Sanctesco Att. 162 „ac per nos sanctescat genus", ubi libri santescat. Certisco Pac. 10: „atque eccos, unde certiscent", ubi libri certissent. Vastesco Att. 600. Incurvisco inc. inc. fab. 135.

Tum inveniuntur: perdolisco Att. 318: „perdoliscit fligi socios" (etiam ap. Cæs. B. Civ. 2, 15, 1). Aggravesco Pac. 69 (et Ter. Heant. 3, 3, 2). Mitisco Pac. 142, 293, Att. 684, labasco Att. 684, flaccisco Pac. 77, silesco Pac. 77, crebresco Att. 276, mitesco, frondesco, pubesco inc. inc. fab. 135, exalbesco Enn. 24, obrigesco Pac. 14 etiam alias sæpius inveniuntur.

§. 22. Verba denominativa.

1. In are. Alibi non leguntur:

Incertare i. e. incertum facere Pac. 150: „incertat me dictio".

Amplare i. e. amplificare Pac. 339: „causam humilem dictis amplent".

Tetrare Pac. 203: „ferarum adventus ne tetret loca", id est fœdet, polluat.

Corporare i. e. interficere et quasi corpus solum sine anima relinquere, cf. Non. 20, 15; Att. 605: „corporare abs tergo est ausus"; Enn. 101: „unde corporaret vulnere".

Expectorare i. e. e pectore eiicere Enn. 21 „pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat"; Att. 301 „expectora pavorem"; Att. 595 „exanimatum expectorat".

Urvare „ab urvum dictum, quo veteres ad condendas urbes utebantur, significat circumdare" Fest. 375; Enn. 102: „circum se urvat ad pedes, terra occulit caput".

Clupeare i. e. clupeo ornare Pac. 186: „clupeat bracchium".

Prægradare Pac. 48: „ipsum prægradat Parthenopæum", i. e. prægreditur, antevenit.

Deiugare i. e. separare, dissociare Pac. 110 „unanimitatem quam memoria nulla deiugat".

Abiugare Pac. 222: „quæ res te a stabulis abiugat"?

Inumigare Liv. 16: „confluges rivi totum campum inumigant".

Indecorare i. e. fœdare Att. 459: „me indecorans turpi fama".

Obvarare, a varo dictum, signif. pervertere, depravare Enn. 7: „consiliis obvarant quibus concedit Hector".

Vanare i. e. verba dare Att. 66: „tantum ut frustrando lactans, vanans protrahas".

Pigrare i. e. pigrum esse Att. 268: „melius pigrasse quam properasse est hoc nefas"; Att. 294: „cur pigrem aut huius dubitem parcere capiti".

Alibi raro inveniuntur:

Mæstare i. e. mæstum facere Att. 13 ap. Non. 173, 33, qui etiam Laberium affert.

Lætare i. e. lætum facere Liv. 5, Att. 513; (etiam ap. App. Met. 5, 168; 3, 136).

Nitidare i. e. lavare Enn. 125: „nitidant corpora", Att. 603: „mundule nitidantur"; (etiam ap. Col. 12, 3; Pall. 3, 17).

Divitare Att. 169 ap. Non. 95, qui etiam Turpilium affert.

Evitare i. e. e vita eiicere, Enn. 87: „Priamo vi vitam evitari"; Att. 348: „turbat vulgum, evitat"; (etiam Plaut. Cas. 3, 6, 37, et App. Met. 3, 133).

Eliminare extra limen eiicere Enn. 215 „eliminas te urbe", inc. inc. fab. 249 „gradus eliminat", Pac. 134 „quonam se eliminat", Att. 448 „timida eliminor"; intransitive dictum Att. 592: „ecfer te, elimina urbe"; (etiam in Hor. Ep. 1, 5, 25: dicta foras eliminare).

Delicare i. e. explicare, pro deliquare dictum, Att. 1; (etiam Titin. ap. 98, 10; 277, 25; Cæcil. ib. 277, et Plaut. Mil.3, 2, 21).

Sospitare, superstitare Enn. 250: „regnumque nostrum ut sospitent superstitentque"; (superst. etiam Plaut. Pers. 3, 1, 3).

Edolare i. e. perficere inc. inc. fab. 24: „iussum edolavi"; (etiam Enn. ap. Non. 488, 17, et Cic. Att. 13, 47; Colum. 8, 11, 4).

Repedare i. e. recedere Pac. 400: „repeda gradum" apud Non. 165, 13, qui etiam Lucilium affert.

2. In ire. Ἅπ. λεγ. sunt: lapire i. e. lapidem facere, obdurefacere Pac. 276: „cura lapit cor".

Ignavire i. e. ignavum facere Att. Aen. 9: „sæpe ignavit fortem in spe expectatio".

Restibilire Pac. 324: „nam Teucrum regi sapsa res restibiliet".

Fulgurire i. e. fulgorem iacere Næv. 14: fulgurivit Iuppiter, alias in participio pass. tantum invenitur, ut Plaut. Trin. 2, 4, 138; Lucil. ap. Non. 110, 19.

Grandire grandem facere Pac. 143: „grandiri fruges"; (sensu intransitivo etiam Plaut. Aul. 1, 1, 10; Cat. R. R. 141, 2).

3. In ere. Ἅπ. λεγ. sunt:

Nigrere Pac. 88, Att. 260.

Putrere Pac. 346, Att. 56.

Vallere. Att. 271: „præda pecua vallebant agris", ubi libri vellebant; vallebant significat peribant, cf. Paul. Fest. 377, 8: „vallessit perierit, dictum a vallo militari, quod fit circa castra, quod qui eiiciuntur pro perditis habentur"; cf. Lachm. in Lucr. II, 191. —

Senere Pac. 304: „ætas senet", Pac. 275: „corpus senet", i. e. debilitatur, etiam ap. Catull. 4, 26 invenitur.

Pigrere Att. 31 „mali pigrent" (etiam Enn. ap. Non. 219, 12).

Flaccere Att. 3, Enn. 301; sordere Att. 23 etiam alias exstant.

§. 23. Composita tragici valde adamasse videntur; multa enim ab iis audacius nove ficta sunt, quæ alibi non leguntur. Sunt hæc:

Superbiloquentia inc. inc. fab. 110.

Blandiloquentia Enn. 257.

Triportentum Pac. 387: „quum deum triportenta" .. significat aliquid quod ter portentum i. e. magnum portentum est.

Quinquertium cf. Fest. 257: „quinquertium vocabant antiqui, quem Græci πένταθλον, ut indicant versus hi: omnis æqualis vincebat quinquertio (Ribb. inc. inc. fab. 17); Livius quoque ipsos athletas sic nominat".

Ingratificus Att. 264 sign. ingratum.

Versutiloquus inc. inc. fab. 144 ap. Cic. de orat. 3, 38, 54: „novantur autem verba quæ ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiant, vel coniungendis verbis, ut hæc: versutiloquas malitias... videtis enim et versutiloquas et expectorat ex coniunctione facta esse verba, non nata".

Fallaciloquus Att. 694 ap. Cic. fin. 4, 25, 68.

Quadrurbis ap. Fest. 258: „quadrurbem Athenas *Attius* appel-

lavit, quod scilicet ex IIII urbibus in unam domicilia contulerunt, Braurone, Eleusine, Piræo, Sunio"; cf. Paul. p. 250: quatrurbem Athenas Accius appellat, quod ex quatuor urbibus in unam illam civitatem se homines contulere".

Crispisulcans fulmen inc. inc. fab. 36.

Taurigenus, *ταυρογένης* Att. 463: taurigeno semine; cf. Macr. Sat. 6, 5, 14; Prisc. VI, 677.

Tardigrada quadrupes Pac. 2.

Hostificus dies i. e. dirus, hostilis Att. 80, 82.

Signitenens Enn. 96: signitentibus bigis i. e. stellatis.

Velivolantibus navibus Enn. 52.

Suavisonum melos Næv. 5; suavisona echo Att. 572.

Obnubilus Enn. 71: obnubila tenebris loca.

Indelictus Att. 384: „qui, nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant" i. e. vitio pura.

Immisericordes flucti Att. 73.

Incicorem iracundiam Pac. 386 ap. Paul. Fest. „incicorem immansuetum et ferum".

Quadrupedans Att. 603: sonipedum quadrupedantum.

Perterricrepus inc. inc. fab. 142 ap. Cic. or. 49, 164: „immo vero ista (verba bene sonantia) sequamur asperitatemque fugiamus: habeo istanc ego perterricrepam.."

Quinct. 1, 5, 67: „ceterum etiam ex præpositione et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius (Ribb. 408): Nerei *repandirostrum incurvicervicum* pecus.

Alia composita etiam alibi exstant:

Vitisator Att. 241 (etiam Virg. Aen. VII, 17).

Salacia Pac. 418 ap. Fest. 326: „Salacia dicta est, quod salum ciet; antiquitus autem eo vocabulo poetæ pro aqua ipsa usi sunt; Pacuvius: „Salaciæ sævitiam fugimus"; Paul. Fest. 327: „Salaciam dicebant antiqui deam aquæ, quam putabant salum ciere, hoc est mare movere".

Semiputata vitis Var. Ruf. 8; (etiam Virg. Ecl. 2, 70).

Pinnigero corpore Att. 547; (etiam ap. Lucr. V, 1075; Ov. Met. 13, 963).

Caprigeno generi Pac. Paul. 5 (et Plaut. Epid. 1, 1, 16 et Virg. Aen. 3, 221; Cic. ap. Prisc. 677). Ap. Att. 544: „caprigenum trita ungulis" vocabulum caprigenum ipsos capros significat.

Graiugena Pac. 364 (et ap. Virgil. Catull.).

Cornifrontes armentas Pac. 349 ap. Non. 190, 21, qui etiam Livii Andr. Odissiam affert.

Largificus imber Pac. 414 (et Lucr. II, 627).

Flexanimus 1) passive Pac. 422: flexanima tanquam lymphata aut Bacchi sacris commota . .; 2) active Pac. 177: flexanima oratio; (sic etiam ap. Cat. 64, 331).

Celeripes inc. inc. fab. 218 (et ap. Cic. Att. 9, 7, 1).

Altisonus Enn. 82: altisono cardine templi, Enn. 177: altisono cæli clipeo (etiam ap. Iuven. 11, 179 exstat).

Armipotens Att. 127, arquitenens Att. 52, 167, Næv. 58, velivolus Enn. 74, bicorpor Att. 307, bipes Næv. 32, bisulcus Pac. 229 etiam alias leguntur.

Accedunt nonnulla verba, quæ aut non aut raro alibi exstant:

Orbifico Att. 421. — Augifico Enn. 68: „augificat nummos".

Perpedio pro impedio Att. 279. — Subaugeo Pac. 163.

Perfremo Att. 403.

Interbibo Næv. 57: mare interbibere, ap. Isid. Or. V, 26: „præpositionem inter pro e ponebant antiqui"; (interbibere etiam Plaut. Asin. 3, 6, 22).

Expergo pro expergefacio Att. 160: „expergite pectora", (etiam ap. Gell. 6, 10, 1).

Simplex contra apud tragicos est fligere pro affligere: Liv. Andr. 12: „fligit se in terram", Att. 317: „fligi socios", Att. 22: „stirpem funditus fligi".

§. 24. Nonnulla vocabula e Græco desumpta sunt, quæ alibi raro leguntur:

Camter, κάμπτηρ, Pac. 48: „camterem inter extremum ipsum prægradat Parthenopæum"; ἅπ. λεγ. est.

Pædagogare, παιδαγωγῶ Pac. 192: „ab ea depulsum pædagogandum accipit mamma"; ἅπ. λεγ.

Thiasare Pac. 311: „thiasantem fremitu concite melum"; ἅπ. λεγ.

Prologium, προλόγιον, i. e. proloquium, Pac. 383: „nam me exanimasti prologio tuo"; ἅπ. λεγ.

Crocota scil vestis, ὁ κροκωτός sc. χίτων, Næv. 48 ap. Non. 548, 27, qui etiam Plautum, Novium affert.

Næv. 60: „*diabathra* in pedibus habebat, erat amictus *epicroco*"; diabathrarius legitur in Plauti Aulul. 3, 5, 59; epicrocum i. e. vestis subtilis (a κρόκη i. e. subtemen) etiam Non.

318, 25 ex Varrone affert; potionem epicrocam memorat Plautus Pers. 1, 3, 15.

Malacus Næv. 48 (etiam Plaut. Mil. 3, 1, 93. Truc. 2, 7, 49).

Creterra pro cratera Næv. 47 (etiam alias).

Camus καμός dor. pro κημός i. e. fiscella Att. 301; (etiam Plaut. Cas. 2, 6, 37).

II. De verbis obsoletis.

Nonnulla præterea apud tragicos inveniuntur vocabula, quæ non tragicorum ætate nove ficta, sed e lingua vulgari, e dialectis vetustissimisque literarum monumentis desumpta esse videntur. Quæ quamquam ab antiquissimis potissimum tragicis usurpantur, tamen etiam Pacuvius et Attius iis interdum utuntur, si antiquitatis speciem præ se ferre volunt

Redamptruare Pac. 106 ap. Fest. 270: „redamptruatur dicitur in Saliorum exultationibus, cum præsul amptruavit quod est motus edidit, ei invicem referuntur idem motus; Lucilius: præsul ut amptruet, inde volgus redamptruet; Pacuvius: pro merenda gratia simul cum videam Graios nil mediocriter redamptruare“; et ap. Non. 112: „redandruare redire Lucilius VIII: ut vulgus redandruet inde, Pacuvius: Graios nil mediocriter redandruare“. Amptruare — hæc enim primaria forma est — non, ut Paulus 9 vult, ab αναδραμεῖν derivari debet [1]), sed ex ambi et *truare* compositum est, quod Paulus 9 explicat „movere, dictum a trua, quo permovent coquentes exta“ (Rührlöffel, græce τρυήλη ap. Hesych.), cuius radix etiam in τόρνος, τορνεύω teres, terebra exstat. Amptruare igitur significat motus edere, redamptruare invicem motus referre, redire ap. Non. l. c. et gratias referre ap. Paul. l. c. [2]).

Hostire, hostimentum, redhostire; Pac. 345: „nisi coerceo protervitatem atque hostio forociam“; Att. 92: „quid mihi redhostis“? Enn. 113: „audi atque auditis hostimentum adiungito“;

---

1) Lindemann ad Fest. 313, Kuhn Vgl. Ztschr. VII, 64 a sanskrito dru, currere derivant.

2) Cf. Corssen Beitr. p. 145.

Att. 194: „beneficiis hostimentum peperisti". Enn. 149: „quæ mea comminus machæra atque hasta hostibit e manu"; (hostire exstat etiam in Plaut. Asin. 13, 20). Grammatici duplicem significationem afferunt: 1. Paul 270: „redhostire referre gratiam, nam et hostire pro *æquare* posuerunt". 2. Non. 121: „hostire est comprimere cædere [1]), dictum ab hostia; Pacuvius Teucro... hostire offendere, cædere"; Paul. 102: „hostire ferire". Hostire, ab hoste dictum, primum significat hostem esse, hostilia agere, ferire, ut in illo Pacuvii versu [2]); tum etiam contra facere, vicissim dare, compensare, æquare; inde hostimentum significat beneficii compensationem, et redhostire gratias referre [3]).

Betere Pac. 255: „vos hinc defensum patriam in pugnam betite"; Pac. 227: „si ire conor, prohibet betere"; Plautus, qui hoc verbo utitur Curc. 1, 2, 25, Merc. 2, 3, 27, semper scribit bitere. Non. 77, 25 explicat: betere, ire. Radix est *βα* (in *βαίνω*), Osce be in benust i. e. venerit; bĕ cum suffixo t coniunctum producebatur: hinc formæ beitere, bētere, bītere [4]). Composita: perbitere i. e. perire Liv. 25, Enn. 176. Pac. 287; alias non exstat. Probitere i. e. movere et ferre Pac. 341: „probitam gradum". Obbitere Att. 92: „orci ut messem obbitat"; (sic coniecit Ribbeckius).

Vitulari Næv. 34: „ut in venatu vitulantis ex suis nos mittat lucis"; Næv. Clast.: vitulantes; Enn. 389: „is habet coronam vitulans victoria". Nonius 14, 19 explicat: „vitulantis veteres gaudentes dixerunt, dictum a bonæ *vitæ* commodo, sicuti qui nunc est in summa lætitia, *vivere* eum dicimus"; contra Varro LL. VII, 107: „multa apud poetas reliqua esse verba, quorum origines possint dici, non dubito, ut apud Nævium in Clastidio vitulantis a *vitulo*". Rectius Varro; vitulari, dictum a vitulo, significat vitulum mactare, præcipue ad grati animi significationem; sic etiam ap. Plaut. Pers. 2, 3, 2 et Varr. ap. Macr. Sat. 3, 2, 12; tum etiam diem festum celebrare, lætari [5]).

---

³) Ex coniectura Corssenii Beitr. p. 220; libri recedere.

⁴) Hostio ferociam i. e. ferio, coerceo, infringo ferociam; Fest l. c. falso hic explicat æquare; nam verba præeuntia: coerceo protervitatem requirunt illam significationem.

¹) Cf. Corssen Beitr. p. 220.

²) Cf. Corssen Beitr. p. 62.

³) Cf. Corss. Beitr. p. 10. Curtius Et. Gr. II, 159.

Anclare Liv. 28: „florem anculabunt liberi ex carchesiis"; Paul. Fest. 11 explicat: „anclare, haurire, a Græco descendit"; sed non ab ἀντλᾶν derivari debet, sed ab anculus i. e. minister; primum igitur significat ministrare, tum ministrantem alqd. afferre, haurire. Exanclare significat 1. effundere Enn. 134: „nisi patrem materno sanguine exanclando ulciscerem"; 2. tolerare, perpeti; Enn. 90: „illum exanclavi diem"; Att. 91: „clades exanclarem"; id. 270: „exanclavimus tyranni sævum imperium; 3. perficere Pac. 290: „non potest hic sine tua opera exanclari labos".

Incilare Att. 41: „matrem ob iure factum incilas"; Pac. 130: „si quis me hac oratione incilet, quid respondeam?"; Att. 458: „incilans probris"; (etiam ap. Lucr. III, 961). Significat increpare; eiusdem radicis est atque incilis, ancile; radix skar, skal, kal signif. sculpere, incidere, lædere, increpare [1]).

Supare Att. 575: „obtorque prorim ac tortas copulas supa"; cf. Fest. 310: „supat iacit unde dissipat disicit, et obsipat obicit, et insipat, insipit . . ."

Manticulari Pac. 378: manticulandum est mihi; id 377: ad manticulandum astu aggreditur; id. 380: manticula; id. 376: manticulator. Cf. Fest: „manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro sæculo fuit, unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectant; inde poetæ pro dolose quid agendo usi sunt hoc verbo . . ." cf. Paul. Fest. 132.

Nefrens Liv. 37: „quem ego nefrendem alui lacteam immulgens opem"; cf. Paul. Fest. 163: „alii dicunt nefrendes infantes esse nondum frendentes id est frangentes"; Varr. R. R. II, 4: „porci dicuntur nefrendes ab eo, quod nondum fabam frendere possunt, id est frangere". Hanc significationem frendere apud antiquos habebat: Att. 178: „fruges frendas, Pac. 11 fruges frendo sola saxi robore".

Creperus Pac. 128: in re crepera, Att. 601, Att. 628; Non. 13, 28 explicat: „crepera res proprie dicitur dubia"; cf. Varr. LL. 6, 5: „secundum hoc dicitur crepusculum a crepero; id vocabulum sumpserunt a Sabinis, unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, qui eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce".

---

1) Cf. Corss. Ausspr. p. 522; contr. Walterus Ztschr. f. vgl. Spr. 12, 413 a græco ἐγκαλεῖν, (lat. calare, calendæ) derivat.

Creperus aut cum κνέφας cohæret, aut cum κρύπτω;[1] (exstat etiam Lucr. 5, 12, 95; Varr. ap. Non. 14, 4).

Ocris Liv. 39, 33, 32, 30 ap. Fest. 181: „ocrem antiqui, ut Ateius Philologus in libro glossematum refert, montem confragosum vocabant“[2]).

Ungulus Pac. 64, 215 ap. Fest. 375: „ungulus Oscorum lingua anulus“; cf. Mommsen Unt. Dial. 306; ungulus denominativum vocis unguis est, (ut nostrum Fingerlein i. e. Ring).

Tullii Enn. 18 ap. Fest. 352: „tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes proiectiones sanguinis arcuatim fluentis, quales sunt Tibure in Aniene“.

Tosilla Pac. 218, Att. 574 ap. Fest. 356: „tosillam ait esse Verrius palum dolatum in acumen et cuspide præferatum, ut existimat, quem configi in litore navis religandæ causa“.

Camilla Pac. 232 ap. Serv. ad Virg. Aen. 11, 543: „unde Virgilius bene ait Metabum camillam appellasse filiam, scilicet Dianæ administram...“; Varr. LL. VII, 34: „camillam, qui glossemata interpretati, dixerunt administram“.

Raudus Fest. 265: „rodus vel randus significat rem rudem et imperfectam; nam saxum quoque raudus appellant poetæ, ut Accius in Melanippo (Rib. 438): hinc manibus rapere raudus saxeum grande et grave; et in Chrysippo: saxeum raudus. Vulgus quidem in usu habuit pro ære imperfecto, ut Lucilius...“

Strigor Fest. 314: „strigores in Nelei carmine pro strigosis positum invenitur, id est densarum virium hominibus: strigores exerciti“; ubi Turnebus coniecit strigones. Corssenius contra strigonem significare censet tenacem, fortem, robustum hominem.

Ex iis quæ hucusque disserui apparet, novas et obsoletas formas vocesque iuxta apud tragicos inveniri. Id novarunt, ut voces Latinas ad Græcas verborum formas magis revocarent, ut multas voces nove fingerent, quibus linguam ditabant. Sed iidem poetae etiam antiquum scribendi genus denuo adoptarunt et antiqua verba vel e duodecim tabulis vetustissimisque literarum

---

[1]) Cf. Curtius Et. gr. II, 275.

[2]) In lingua Umbrica exstat ukar; cf. Aufr. Kirchh. Umbr. Spr. I, 124; in lingua græca ὄκρις, ὀκριόεις; Ocriculum, Interocrea, ocresia, ocrea eandem radicem habent; cf. Corss. Vok. 394.

monumentis deprompserunt. Quapropter urbanitas posterior multa, quæ apud tragicos in usu erant, non comprobavit. Etiam elegans et facetum quodque Græcorum suavitatem referret, eorum linguæ defuit; sonoras præcipue fictiones tam crebro usurparunt, tam avide captarunt, ut sæpius non multum abesset, quin pompam in dicendo adhiberent. Quod probant vocabula prolixitudo, geminitudo, repandirostrus, incurvicervicus, superbiloquentia, crispisulcans, perterricrepus, incurvisco, succusso, corporo, pigro aliaque multa. Ipsum Attium, tragœdiæ Romanæ principem, Pacuvius reprehendisse dicitur, „quod sonora quidem essent quæ scripsisset et grandia, sed sibi duriora et asperiora viderentur" (Gell. XIII, 2). — Attamen negari nequit, tragicos multis formis vocibusque, quæ postea in usu manebant, linguam rudem adhuc et pauperem emendasse. Linguæ etiamtum duritia contumaciaque prohibebantur, ne maiorem orationis elegantiam assequerentur; —

E tragicorum linguæ investigatione etiam multa quæ ad uniuscuiusque ingenium cognoscendum mirum quantum faciant, colligi possunt. — Ennius quem magnopere indulsisse scimus memoriæ sancitæ apud Romanos amori, obsoleta denuo adoptare quam nova plane experiri maluit. Perpauca tantum vocabula nove finxit, multa vero e lingua vulgari et antiquis monumentis deprompsit. Contra Pacuvius et Attius in vocabulis derivandis liberius se moverunt et multa ausi sunt. Istorum sunt omnia in tudo, tas, bilis, osus ficta nomina, verba inchoativa et denominativa, composita, quatenus nove ficta ea esse divinare licet aut grammatici affirmant. Sed etiam Pacuvius et Attius inter se distant. Pacuvius doctus nominatur (Hor. Epist. 2, 1, 56), ea de causa, ut opinor, quod omne, quod esset singulare et insolitum, magnopere adamabat; quare non solum monstruosa vocabula nove finxit, ut repandirostrum, incurvicervicum, sed etiam antiquissimis formis et vocibus, (ut ques, es, redamptruare), usus est, quibus antiquitatis speciem affectare et tragicæ dictionis granditatem augere volebat. Attius, qui altus nominatur (Hor. l. c.) et animosi oris (Ov. Am. 1, 15, 19), omissis quæ usus iam respuerat, in novis potissimum verbis fingendis versatus esse et sublimitatem ita petisse videtur, ut interdum fines transiliret et asper horridusque fieret.